














XXXIV
CONR

HERMANNI CONRINGII

# ANIMADVERSIONES

*In Reverendissimor. & Perillustr. fratrum*

ADRIANI ET PETRI

DE WALENBURCH

CONRINGII LAUDATI ET CORRECTI

*PARTEM PRIOREM*

DE

VOCATIONE EXTRAORDINARIA

primorum Ecclesiæ reformatorum.

*Quibus etiam sua Concussio Fundamentorum Fidei Pontificiæ ab iniquo contra Evangelicos abusu vindicatur.*





*HELMESTADII*

Typis & sumptib. HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIϽ IϽ C LXIII.

Cum privilegiis perpetuis S.R.I. Vicarior.

## SUMMA PRIVILEGIORUM.

Cautum est Privilegiis Serenissimorum Potentissimorumque S.R.I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringii cura scriptos vel editos, citra ejus heredumque consensum, intra limites Vicariatuum inprimat, aut alibi impressos divendat: pœna delinquentibus dicta, amissionis omnium ejusmodi librorum & solutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipsis Privilegiorum tabulis.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

# AUGUSTO

DUCI BRUNSVICENSIUM ET LUNEBURGENSIUM

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

QUem optimo Principi & virtutum Serenissimæ Celsitudinis Vestræ æmulo filio ANTONIO ULRICO, par illud nobile fratrum reique Romanensis in Germania nostra magnorum athletarum, Adrianus ac Petrus Walenburchii inscribere & ante annum publicare haud dubitavere, is liber quum non tam mihi quã veritati molestiam facessere videretur, statim quidem, simulac in manus venit, aliquot plagulis refutari abs me cœpit, quas etiam misi: nunc tamen denuo non nisi primam ejus partem integram offero: quod vetuerint hactenus infinitæ occupationes cœptam feliciter telam pertexere. Dabit veniam scio Serenissima Celsit.udo V. tarditati huic; quin & si quid habet illa culpæ haud succensebit, quandoquidem

me, quis ſine injuria dixerit. Auſim etiam in id compromittere, modo auſint idem adverſarij. Quo major tamen Patris eſt & dignitas & inuſitatâ vivendi felicitate parata prudentiæ ſapientiæque vis, eo indubie ſplendidior eſt Paterna approbatio. Addat Deus vitæ adhuc annos complures, nihilo detractis animi corporiſque viribus: quemadmodum proxima æſtate quaſi rejuveneſcens valetudo viſa eſt polliceri.

*Sereniſſimæ Celſitudini*
*V.*

*ad conſilia & obſequia*
*devotiſſimus*

H. Conringius.

# H. CONRINGIVS BENEVOLO LECTORI S. P. D.

*Cum ante novem annos multis justis de caussis permotus, exiguum libellum edidissem titulo* Concussionis fundamentorum fidei Pontificiæ, *facile quidem prævidebam, non aliquando defore qui adversaretur: plures tamen & citius exspectatione nactus sum qui calamum stringerent, eosq; statim à libelli mei editione & uno quasi momento, tanquam classico evocatos: quo in herba scilicet periret Pontificiis rebus nociturum germen. Et vero quatuor illico prodierunt in aciem. Et quidem ex ipso Jesuitico ordine bini, alter Ingolstadiensis alter Herbipolensis Theologus, uterq; gestis alias rebus clarus, hic cumprimis jam multarum palmarum athleta suis creditus, maxima profecto ferocia superbiaq;. Ex Capuccinis ipse hæreticorum ille malleus Magnus Valerianus. Et deniq; Martinus quidam Ziphelius Theologus itidem Herbipolensis, minori quidem fama, dignitatibus tamen & titulis etiam omnibus illis aliis eminentior. Repentinus ille & inexspectatus impetus quatuor gladiatorum si in fugam me dedisset, invenisset forte trepidatio excusationem: nam Herculem ipsum ne cum duobus quidem una congressum vice, in proverbium abiit. Quantillus vero sum ego in tot mil-*

*millibus Israelis? Armis utique & galea indutus hostem in publico aggredi, hactenus non satis assvetus. Non dispari tamen celeritate qua illi me adorti erant, divino animatus auxilio, contra & binos Jesuitas. & illum famosum Capuccinum, Concussionem meam tutatus sum: quartum judicans indignum cui scorsim aliquid reponeretur. Quid præstiterim, alij dixerint. In medio etiamnum sunt & mea & adversariorum scripta. Omnes qui verum amant, sepositis partium studiis, simulac quæ hinc inde allata sunt expenderint, haud difficulter poterunt rem omnem arbitrari. Quandoquidem ego sane non nisi ad axiomata nobiscum nata, atque ad hypotheses omnibus Christianis confessas, sepositis aliis nonnihil impeditioribus, ipsamet prima Pontificiæ Fidei principia examinare instituerim; idq; ea brevitate & orationis simplicitate, qua immotas suas demonstrationes Mathematici conficiunt: adversarij autem confugere quidem voluerint ad latebrosum disputandi genus, vitato illo meo aperto tanquam scopulo, etiam sic tamen coacti fuerint vim meorum experiri Si ex applaudentium mihi choris suspendam ego sententiam meam, possint me illi certum reddere: verum firma ἀποδείξει instructus ego quidem dudum ἀμετάπτωτος hîc fui, gaudeo tamen aliis quoque jam illuxisse jubar illud splen-*

*didissi*

*didißimum veritatis. Nihil ſane magis in aperto lucet, quam omnibus qui legatione funguntur ut fidem inveniant opus eſſe certis mandatæ legationis documentis & teſſeris: ſi vero quis nullis ejuſmodi teſtimoniis munitus tamen res magnas, jure illius à quo ſeſe miſſum venditat, moliatur agatq; illum graviſsimam mereri animadverſionem: peccari item plurimum ab eo, qui rectiora edoctus falſario ejuſmodi & ſtellioni eſt auxilio, vel etiam illi applaudit aut blanditur. Nihil etiam eſt certius, quam & Papas Romanos, & in Concilijs Oecumenicis hærentem Clerum, ſolere ſibi tribuere divinæ legationis auctoritatem: omnes tamen & ſingulos idoneis ſui iſtius divini muneris documentis carere: eoque ſaltim neutiquam colere cum illis ſocietatem Chriſtianam cuiquam intelligenti fas eſſe. Quæ fere ſumma eſt libelli mei. Illam vero à me accenſam facem non ſatis à quadrumviris illis ſuis eſſe extinctam, niſi vehementer fallor, videntur agnoſcere ipſi bini illi fratres Walenburchij, qui aliquamdiu in Germania noſtra familiam duxere omnium Pontificiæ partis ὑπερασπιστῶν: nec enim aliam temere cauſſam finxeris, quare & hi voluerint illis ſuccenturiari. Ediderunt ſcilicet ſuperiore*

*anno & hi grandem satis librum, cujus pars tertia prolixissima tota est in illius meæ Concussionis confutatione occupata: cum duas priores impendissent in ejusdem meæ disputationis adversus Ecclesiam nostram quasi retorsionem. Quantumvis vero pene tædium me jam cœperit toties reciprocatæ illius serræ, nec vel illæ Walenburchianæ nebulæ pares sint obscurando meo soli; operæ tamen me pretium facturum judicavi, si omnia illius libri justa animadversione persequutus, dispellam procul quicquid est offusum caliginis. Habenda scilicet est ratio illorum etiam, qui hebetiore sunt judicij oculo: præsertim quum ea sit dignitas eaque existimatio binorum illorum fratrum, ut quammulti eorum vestigia omnia quasi cœco impetu sectari haud dubitent. Et vero jam pridem magnum sibi nomen Walenburchij pepererunt variis adversum Evangelicos, conjuncta insolenti exemplo opera, editis libris: quos merito præferendos omnibus aliis argumenti illius, nostra quidem hac ætate, etiam à Jesuiticis Sociis, tametsi hi affectent primas, exaratis, nolim equidem diffiteri. Ostenderunt sane sese magis quam solent alij in Protestantium libris versatos; & nihil non novarum artium,*

*tium,*

*tium, quas in Gallia & Germania recentiorum Papistarum male sana industria in Ecclesiæ nostræ oppugnationem excogitavit, quibusq; hodie, cum in vetere disputandi ratione parum præsidij invenissent, hostes maxime sese jactitant, cum didicisse tum in tempore adhibere idoneos. Vsi præterea sunt hactenus oratione non Jesuitice maledica, dictione item plana, & plærumq; ordine docendi haud improbando. Vterq; postremo fratrum, juxta generis nobilitatem & opes hereditarias, jam non una fulget dignitate; Eminentißimorum scilicet Germaniæ Archiepiscoporum & Electorum Principum, alter Agrippinensis Consiliarius atq; in Pontificalibus Vicarius Generalis, nec non Metropolitanæ Electoralis illius Ecclesiæ Presbyter Canonicus Capitularis, alter Moguntinensis Suffraganeus & in spiritualibus Generalis Provicarius. Vt nunc taceam, quod alter itidem Adrianopolitanus, alter Mysiensis Episcopus audiat: quandoquidem hi quidem non nisi vani sunt tituli, & Papalis super Ecclesiam omnem affectatæ monarchiæ inanes bombi, viris gravibus & antiquorum Ecclesiæ canonum gnaris plane indigni, nisi consuetudine præpostera sed inolita Romanæ Curiæ nonnihil ex-*


cusarentur. Hæc sane vetant oppugnantibus Ecclesiam nostram Walenburchiis nihil reponere. Me id ut faciam id cumprimis adigit, quandoquidem non tantum sua adversus Concussionem meam defendere, verum etiam ipsis meis armis insultare nobis annisi sint. Posset enim utique silentium meum haud injuria in suspicionem apud imperitos aut malignos me trahere desertæ temere causæ veritatis, imo commissæ prævaricationis: quorum utrumque nefas est. Hac adeo de caussa simul Walenburchiana in manus meas devenere, statim respondendum censui. Quamvis autem uno impetu defungi illo munere, quod veri studio ac pietate impositum mihi sensi, omnino propositum fuerit; infinitæ tamen non unius officij occupationes, hoc agere paucis tantum horis vacuis permittentes, dividere nonnihil negotium, atque ne diuturnior mora quidquam sinistræ moveat opinionis, quasi in antecessum primam duntaxat operis partem nunc dare, invitum licet renitentemque coëgerunt. Et vero propediem reliqua itidem sequentur: simul otij quid nactus fuero, ac Deus indulserit vires facultatemque. Sed & fortasse meretur hujus primæ partis argumentum singularem aliquam attentionem: quandoquidem

quidem vulgo à Pontificiis nonnullis Gordius creditur nodus, illa de Vocatione primis corruptæ Ecclesiæ reformatoribus mota controversia: poßitq; videri solito jam intricatior ac difficilior reddita per Walenburchios, ope collectorum abs me axiomatum & hypothesium. Et vero hunc locum videas à Walenburchiis sæpenumero agitatum, cum alibi tum singularibus etiam libellis, idq; eximia à suis hinc laude comparata (qualia invidenda præconia, à magnis Principibus etiam profecta, in meis sunt manibus) nusquam tamen illa ratione, aut illa in speciem vi, atq; hic factum. Quin & pertinet hæc doctrina ad ipsummet Ecclesiæ nostræ fundamentum, ex Pontificiorum quidem recepta sententia; ut hac ab illis confecta jam deploratū sit de omni Protestantium Ecclesia. Cæterum mihi hic pene aliud nihil quam actum agere necessum fuit; quandoquidem ante hosce octo annos, quodam in id unice edito libello, idem ita jam egissem, ut depugnatum haud injuria videri poßit. Vt tamen nihil omnino hic maneat dignum dubitatione, & denuo illa jam tum evicta repetere, & quicquid vel tantilli momenti specie fallat volui convellere. Nullus dubito autem multum παράδοξα visum iri, quæ

*de populi Christiani juribus atque dignitate abs me hic dissertata sunt: Pontificio saltim clero omni, ejusque assentatoribus & immodicis præconibus. Enimvero intantum plebs Christiana ab ipsismet Pontificibus Romanis jamdudum viliter est habita, ut tanquam immundæ bestiæ vel sacras literas tractare fuerit ipsi interdictum. Verba enim hæc utique fuerunt jam Innocentij tertii ad Metenses & ipsis Decretalibus patrum ætate à Romanensibus l.V tit. 7. cap. XII.* cum ex injuncto, *addita:* Recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia quæ montem tetigerit lapidetur: ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad sublimitatem Sacræ scripturæ pertingere: *quum tamen sancti Apostoli olim,* Dei à pusillo ad magnum docibiles, à sancto Spiritu unctos, Dei vivi filios, genus electum, sacerdotium regale, gentem sanctam, populum acquisitionis, *imo nullo infra clerum abjecto titulo, appellare fideles haud dubitaverint. Quin ipsis Regibus quid tandem circa sacra relictum præcipui, quam ut fere Gabaonitarum instar ligna cædant & portent aquam? Non deesse & Protestantium in clero nonnullos, elati & Romanensis plane supercilii, in Britannia cumprimis*

*mis & Batavis, haud itidem me fugit. Nihil tamen abs me datum vel amori vel odio, ut quorum etiam causas procul habeam, rectissime conscius mihi sum: certus etiam fracturos genuinum qui momorderint. Verum mihi jam res est cum Walenburchiis. Illi si consenserint satis est: sin, scio tamen illos vim allatarum abs me rationum reapse sensuros; saltim non desideraturos in me quidquam convenientis disputanti sive candoris sive æquanimitatis. Sane dedi operam, ne quid durius excideret: eoq; & emendare jussi unum atq; alterum quod sinistrorsum posset accipi. Quin imo si quid adhuc amariusculum superfuerit, deprecor culpam. Enimvero sicut magni facio Walenburchios multis de causis, & illi præ Jesuitis modeste gesserunt sese, ita præter veritatis actionem absit ut illis vel unō verbulo gravis sim aut molestus. Tu vero Benevole Lector, Vale ac perge favere. Helmestadii ex Acad. Julia VII. Kal. Nov. A. CIↃ IↃ CLXIII.*

DN. HER-



1.

Dn. HERMANNVS CONRINGIUS
Laudatus & Correctus

*SIVE*

# FVNDAMENTORVM CREDVLITATIS LVTHERANÆ, CALVINIANÆ &c. CONCVSSIO ET FVNDAMENTORVM FIDEI CATHOLICÆ DEFENSIO

1 2 3

PER ADR. ET PETR. DE VVALENBVRCH BATAVOS.

*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*
Apud IOANNEM BVSÆVM, Bibliopolam sub Monocerote
ANNO 1662.
*Superiorum permissu.*

---

*ANIMADVERSIO.*

1. *Dn. H. C. laudatus*) Non opus fuisset insolente adeo libri titulo. Ego sanè maluissem isthac honorifica nominis præfatione carere. Multum etiam dubito, an benè sibi eâ in re consuluerint Reverendissimi Domini Walenburchij. Notum quippe est, quàm indignis modis habuerint me, cum alij duo Concussionis meæ adversarij, tum præcipuè ambo Socij, agmen maledicentiæ ducente Pyrgopolynice illo glo-

rioso Vito Erbermanno. Saltim hi sane videntur ægerrime laturi mitiorem hanc, suæ plane adversam, tractandi mecum rationem. Et vero si hæc justa est: iniquissima sunt scripta aliorum, Jesuitica cumprimis. Forte tamen placandis Jesuitis facit, quod laudatio mea potissimum in eo versetur, quod (judicio sane Walenburchiorum) suppeditaverim argumenta oppugnandæ Vocationi Extraordinariæ & Schismati Protestantium. Qualis laudatio reapse mihi probrosa fuerit, si verum Walenburchij dixerint. Sed fortassis haud est quare me talia morentur: præsertim quoniam mox fiet manifestum, quantopere fefellerit meos illos laudatores sententia.

2. *Fundamentorum Credulitatis*) Credulus est is qui nimium facile credit. Credulitas igitur fuerit nimium facilis fides: & hujus *fundamenta* concusserint hoc libro Reverendissimi Domini Fratres Walenburchij, si titulus libri vanus non est. Utique autem hoc ipsum agere conati illi fuerint sectionibus duabus prioribus. At verò ibi nihil omnino reperias quod faciat ad *fundamenta fidei* Protestantium, multò minus ad id quod Protestantes adeo faciles in credendo fuerint. Nec enim Vocatio ministrorum extraordinaria, aut ab Ecclesiæ Romanæ communione discessio, fundamentum est fidei Protestantium. Reapse autem (quod nec ipsi ignorant) fundamentum illud continetur illo S. Augustini dicto: *In iis quæ apertè in Scriptura posita sunt inveniuntur illa omnia quæ continent Fidem moresq; vivendi*, atque adeo quæ ad æternam salutem obtinendam pertinent. Hanc ergo S. Augustini sententiam concutere debuissent Domini Walenburchij, vel saltim hîc periculum facere suæ jactatæ Augustinianæ methodi. Cum plane aliud autem egerint, manifestum profectò est, Titulum fallere lectorem & quasi

deludere

deludere hiantem corvum: culpâ minime ferendâ, præsertim in ipsa statim, ut ita loquar, disputationis janua.

*Fidei Catholicæ)* Scripseram ego *Fidei Pontificiæ.* Quare hæc appellatio Walenburchijs potuerit displicere, nihil video caussæ. Ingenue magis hoc cognomento gloriantur primipili Romanæ Ecclesiæ. Stanislai sanè Hosij, Cardinalis & aliquando unius Concilij Tridentini Præsidum, in ipsomet suo ultimo elogio hæc verba sunt: *Secundum illud quo Christiani censemur, nullum vel gloriosius, vel salutare magis nomen mihi tribui posse persuasum habeo, quam si Papista vocer.* Jam dixerat: *Qui Papista non est, Satanista est.* Cardinalis quoque Baronius in Notis ad Martyrologij diem 16 Octobris, candide affirmat, sese & suos *nullo sublimiore gloriæ titulo exornari posse, quam si nuncupentur Romani atq; Papistæ. Sint igitur,* addit, *nobis viventibus hæc semper præconia laudum, & post mortem tituli sepulchrales, ut ROMANI semper dicamur atq; PAPISTAE.* Observasse quidem mihi videor, Walenburchios Papali Vicedeatui plurimùm detrahere, atque adeo hactenus non esse in ordine γνησίως Papistarum. Quoniam tamen & ipsi censent, unicè ad salutem esse necessariam unionem cum Pontifice Romano, tanquam capite Ecclesiæ, merentur utique saltim in secundam classem Papistarum etiam ipsi referri, & illorum Fides itidem Pontificia est. Ex adverso Catholici cognomentum reapse est anceps: & jam tum antiqua hæreticorum non minus quam orthodoxorum appellatio. De Arianis sui seculi quàm diserte Salvianus Massiliensium Presbyter! *Hæretici sunt, sed non scientes. Deniq; apud nos sunt hæretici, apud se non sunt. Nam intantum Catholicos se esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis sunt, & nos hoc illis.*

SERENISSIMO
PRINCIPI
# ANTONIO ULRICO
DUCI BRUNSWICENSI ET LUNEBURGENSI &c.

Adr. & Petr. de Walenburch S.

*Quòd Hermanni Conringii prætensæ Concussioni Fundamentorum fidei Pontificiæ Anno 1654 editæ, à P. Valeriano Magno Capucino, P P. Christophoro Haunoldo, & Vito Erbermanno è Societate JESV Theologis Doctoribus refutatæ, hanc*
1 *scriptionem putaverimus impendendam, fecit Serenit.tis S. Principalis benevolentia, & eminens humanitas, æstate elapsâ tum Bambergæ, tum Moguntiæ demonstrata; quando declarabat, improbare se nimiam styli acrimoniam, sive in Conringio, sive in illis qui Conringio responderunt: nec in-*
2 *gratum futurum, si ad imitationem ejus, qui exemplum nobis proponens, se dixit mitem & humilem corde, mansuetâ & charitatem Christianam spirante discussione res ageretur. Quemadmodum non licuit pio Serenita-*
3 *tis S. desiderio non obsequi, ita visum est in Prima parte ostendere, fundamenta Conringij evertere vocationem extraordinariam prætensorum Reformatorum; in Altera eadem fundamenta manifestare temeritatem secessionis Protestantium ab unitate Ecclesiæ Catholicæ: in Tertia verò declarare statum Controversiæ, à Conringio involutum, esse evolvendum, indeque procedendum ad Conclusiones, quarum declarationes cum essent relativæ ad axiomata & hypotheses, simul & Conclusiones & alia, quibus nitebantur, esse examinanda; nec proprio loco negligenda, quæ in Caput tertium Con-*
4 *ringius retulerat. His constitutis, vidimus P. Valerianum, ea, quæ de vocatione extraordinaria diximus, breviter observasse; existimantes ex axiomatibus & hypothesibus deductas à nobis Conclusiones esse inevitabiles, maximè si supponatur in facto, quod Capitibus sequentibus supponendum esse ostendimus. De Schismate quamvis alij non egerint, non tamen minùs*
5 *utilis est ejus rei tractatio prout alibi deduximus. Postquam vidimus in Examine Examinis, per P. Erbermannum edito, multa contineri persolida,*

unde

*unde prædicta illustrentur, & quibus Conringius non respondit, volumus*
*ex eo Tractatu nonnulla reproducere, ne quæ fortè excusatio Conringium à* 6
*respondendo remoretur. Atque ita Serenitas S. perspiciet, sepositâ quæ-*
*stione de infallibilitate Summi Pontificis, quæ adversus Protestantes contro-* 7
*versa non est, quid juxta Scripturas de infallibilitate generalium Conci-*
*liorum (quam Conringius Vicedeatum nuncupat) sentiendum sit: quo solo* 8
*posito, ad emendandum schisma, ad unitatem Catholicam patens est via.* 9
*Rogamus Deum, ut Serenitas S. per lumen gratiæ ipsius necessitatem com-* 10
*munionis Catholicæ ponderet; magnitudinem mali, quod à schismate pro-*
*venit, mature consideret; nec non consilia paci Christianæ proficua inspi-*
*ret nobisque occasionem præbeat Serenitati S. obsequendi.*

## ANIMADVERSIO

1. *Fecit Serenitatis S.*) Non satis assequor, quî Optimus ille Princeps potuerit primus consilij illius, de scribendo hoc libro, Reverendissimis Dominis Walenburchijs esse auctor, idque æstate demum superioris anni; cum Ordinarij librorum Censoris approbatio jam sit facta anni illius die quarto Januarij: quod tempus diserte est Approbationi illi subscriptum.

2. *Sive in Conringio*) Magnam sibi injuriam factam, in eo quod hic dicitur, quasi *improbaverit in me nimiam styli acrimoniam*, conquestus est Princeps ipse literis ad me suapte manu clementissime exaratis. Et vero, saltim in Concussione nullum vel leviculum verbum quod *nimiæ acrimoniæ* possit jure accusari, mihi excidisse, optime mihi conscius sum. In solo Viti Jesuitæ maledicentissimi Examine non potui non, tot atrocibus convitijs lacessitus, aliquid interdum aceti inspergere. Attamen mea illa in eodem cum Erbermannianis ordine nemo æquus arbiter collocaverit.

3. *Visum est in Prima parte.*) Ordo hic quàm sit improbus, ut & tota tractatio quantum omni robore sit destituta, nihilque ejus verè agat quod hic promittitur, mox docebitur.

4. *Vidimus P. Valerianum)* Indubie itaq; viderunt etiam Reverendissimi Walenburchij quæ à me sunt Valeriano bis responsa. Adeoque illorum simul habenda saltim ratio fuisset; nec quasi illa non fuerint sibi lecta, debuisset ab ijs hæc disputatio institui.

5. *De Schismate quamvis alij non egerint)* Prudenter Jesuitas omnes & Capuccinum, abstinuisse in hac contra Concussionem meam disputatione, ab omni ejusmodi retorsione, contra quam à Walenburchijs est factum, non multò post apparebit.

6. *Nonnulla reproducere)* Quæ producta igitur hîc sunt indubie Walenburchiano judicio ad rem maximè faciunt, & omnium sunt optima. Gratias illis debeo, quod voluerint illa reliquis inutilibus abjectis seligere, eaque sola hîc proponere. Non deero illorum exspectationi: quamvis Erbermannum ipsum plurimis de caussis responsione nunquam sim dignaturus, præsertim quoniam canina hominis illius maledicentia non patiatur Christianam disputationem. Quam esse justam excusationem silentij, forte nec Reverendissimi Domini Walenburchii negaverint.

7. *Quæ adversus Protestantes)* Dogma illud de Infallibilitate Pontificis, non solos quidem Protestantes tangit. Etiam hisce tamen omnimodo adversari, certum est. Sed & jam tum in Concussione ostendi, atque parte Tertia iterum probabitur, fieri non posse, ut quis Protestantium, perinde ut nec quis Romanensium Pontificiorum, salva conscientia in una vivat cum Papis, infallibiles sese Dei Vicarios venditantibus, Ecclesiæ communione. Eòque nisi Protestantium aliquis fuerit ante certus de illa Papali infallibilitate, non poterit ullo jure ad Ecclesiam Romanam accedere; utut forte existimaverit Protestantium partes sibi relinquendas esse. Illám itaque Walenburchianam prudentiam, seponendi

hanc de Infallibilitate Papali quæstionem, præsertim quoniam illam Concussio mea quam maxime tetigisset, nemo sapiens temere probaverit. Contra meritò laudanda est Jesuitarum & Capuccini hac in re candida ingenuitas. Infra hæc omnia adhuc clarius ostendentur.

8. *Quam Conringius Vicedeatum appellat*) Conciliorum arrogatam illam auctoritatem nunquam ita hactenus, quod meminerim, appellavi, sed solam Papalem. Etiam illam tamen impiè Divinæ majestati adversari, fateor in Concussione abs me ostensum esse.

9. *Ad emendandum schisma*) Conciliorum infallibilitate quamvis posita, tamen Schisma à Pontifice Romano ejusque infallibilitatis patronis & adoratoribus fore instituendum, jam ante diximus.

10. *Rogamus Deum*) Utinam simul seriò Deum rogent Domini Walenburchij, ut Optimus Princeps plenè ceu hactenus ita porrò semper intelligat, quanto salutis æternæ periculo quis sectetur mera hominum commenta, & quid illud sit Prophetæ Zachariæ IIX, 19: VERITATEM *&* PACEM *diligite:* illudque in Apocalypsi cap. XIIX. 4: *Exite ex illa popule mi, ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis!* Nos certe id Deum rogare non desinemus: idque unâ cum ipsomet Principe: certi nos iri exauditum.

## APPROBATIO ORDINARII.

D. *Hermanni Conringii Concußionem Fundamentorum Fidei Pontificiæ ut primum legi statim optime in illum mihi dici visum est, quod habet Tertul. in Apologet.* Duæ cæcitatis species concurrunt, ut qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt. *Plurimum vero deinceps debebit Reverendißimis Dominis Fratribus VValenburgicis, qui utrumque glaucoma, ex sua ipsius Apothecâ depromptis remediis ita ipsi feliciter absterserint; ut jam; siquidem suam ipse officinam damnatam no-*

lit;

llit; aliter omnino sentire debeat. Ita censeo ac Conringium laudatum correctumq; publici Juris facio permitto. Sigillo 4. Januarii 1661.

P. Aussemius S. C. D. Canonicus
Metrop. Lib. Censor Ord.

---

Librum Reverendissimorum ac Per-Illustrium Dominorum ac VValenburch qui intitulatur: Dominus Hermannus Conringius laudatus & correctus, sive, Fundamentorum credulitatis Lutheranæ, Calvinianæ &c. concussio, & Fundamentorum fidei Catholicæ defensio, diligenter perlegi; & vidi, quod in illo Arietes, quoad veritati conformes, quibus D. Conringius in sua Fundamentorum fidei Pontificiæ, ut nominat, concussione, Fundamenta fidei Catholicæ Romanæ impetere præsumebat, eadem solidissima esse potius declarare, at vero arenosa Acatholicorum credulitatis fundamenta prorsus subvertere, Christianâ modestia juxta Apostolicam & Catholicam veritatem demonstrentur: ut proinde eundem tam pro Catholicorum quam Acatholicorum bono in lucem edi posse sentiam. Datum in Conventu FF. Minorum Recollectorum, Coloniæ 7. Novemb. Anno 1661.

F. Bernardinus Vetvveiss. SS. Theol.
lector Jubilatus mp.

---

Legi Reverendissimorum DD. de VValenburg Fundamentorum credulitatis Lutheranæ, &c. discussionem, eamque non solum ingeniosè, adversus imbecilla Conringii fundamenta, verum & solidè orthodoxèque conceptam, tam ad confutandum adversarios, quam firmandum in suis principiis Catholicos plurimum valere, sentio, ideoque dignam quæ ad multorum utilitatem vulgetur. Anno 1661. 3. Novemb. Coloniæ.

Jacobus Masenius Societatis
Jesu m. p.

---

Reverendissimi & perillustres DD. Adrianus & Petrus de VValenburg germani Fratres, quorum alter Episcopus Adrianopolitanus, Reverendissimi & Serenissimi Domini Maximiliani Henrici utriusque Bavariæ Ducis, Archiepiscopi & Electoris Coloniensis, &c. Consiliarius, per civitatem & Archidiœcesin Colon: in Pontificalibus Vicarius Generalis, nec non Metropolitanæ Electoralis Ecclesiæ Colon. Presbyter Canonicus Capitularis: Hic, Episcopus Mysiensis, Reverendissimi & Eminentissimi Archiepiscopi & Electoris Moguntinensis Suffraganeus & in Spiritualibus Provicarius Generalis: Eisdem Axiomatibus & Hypothesibus, quibus D. Hermannus

Conrin-

*Conringius, veluti à se fabrefactis machinis bellicis, Fundamenta Fidei Pontificiæ, ut ipse nominabat, concutere & evertere, frustra molitus est; non minus sapienter quam fortiter, prætensam Extraordinariam Missionem Reformatorum Ministrorum, concusserunt & everterunt; insuperque nullitatem & injustitiam separationis & Schismatis Protestantium ab Ecclesiæ Catholicæ unitate solide probaverunt, & fundamenta fidei Catholicæ juste defenderunt; quare hunc utilissimum laborem typis publicari, dignissimum judico Hac 26. Novembris Anno 1661.*

*Antonius VVormbs Sacræ Theologiæ, Doctor, & Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii Coloniæ Plebanus.*

*Vidi & studiose legi & relegi librum cui titulus :* Fundamentorum credulitatis Lutheranæ, Calvinianæ, &c. concussio; & fundamentorum fidei Catholicæ defensio; Sive Dominus Hermannus Conringius laudatus & correctus per *Reverendissimos ac perillustres Dominos Adrianum & Petrum de VValenburg Batavos compositum, in eoq; nihil reperi orthodoxæ fidei bonisque moribus contrarium, sed iisdem conformia & fundamenta fidei Catholicæ clarè & perspicuè enucleata; quare ut in lucem prodeat dignissimum judico.*

*Fr. Antoninus Cloes Ord. præd. Sanct. Theol. Doctor & Professor. Ordin. m p.*

*Dextrè admodum Reverendissimi DD. de VValenburg excutiunt è manibus adversarii gladium & lanceam axiomatum & hypotheseon, ac ostendunt dilucidè infirmitatem Concussionis ejus, stringuntque potenter in caput missionis prætensæ Protestantium, atque in humeros iniquæ separationis eorum, nec non horrendi schismatis à corpore Christi, quod est Ecclesia: ad quam ut redeant multi, Conringiusque correctus annulo fidei subarrhetur, utiliter hæc fidei defensio prælo dabitur. Coloniæ 27. Nov. 1661.*

*Henricus Patricius Sacræ Th. Licentiatus Seminarii SS. VVillibr. & Bonif. seu Batav. ibidem Præsidis.*

## *ANIMADVERSIO.*

Mirum si Dominis Walenburchijs opus fuerit adeo multis approbationibus. Præter sane morem illæ hîc solito sunt frequentiores. Si quæ autem necessitas numerum illum, illamque varietatem flagitavit, vereor ne quis in her-

ba anguis latuerit; à quo sibi cavendum duxerint ipsi tantæ dignitatis, & tam inter suos probatæ hactenus doctrinæ scriptores. Si numero illo non fuit opus, suæ existimationi viri tanti rectius forte consuluissent, censuris illis plærisque non publicatis. Nec enim illæ reapse idoneæ sunt scripto Walenburchiano apud Pontificios quidem addere aliquid auctoritatis & fidei. Quis enim censorum illorum non multum inferior VValenburchijs? Quis eorum, uno Masenio excepto, non planè obscurus, etiam in Romanensium Ecclesia? Ipsemet Ordinarius Librorum censor, quamvis mire perspicax sibi videatur, hactenus profecto fugit lucem, talparum instar, solo *Canonici* titulo splendens: sine *canone* tamen *vitæ*, quamvis non sine *canone pecuniæ*, ut loquebatur Abbas VVolcuinus *homilia de Zizaniâ:* quod Alberto Crantzio quondam judice, est *monstrum sine exemplo, oppositum in apposito.* Multo minus Protestantes, vel illo numero, vel illorum censorum magnis nominibus, tantillùm moveatur. Id tamen ego videor mihi numerosis censuris illis lucratus, quod confutato hoc libro possim certus esse, in Walenburchijs simùl quamplurimos alios concidisse.

ANIMAD-

## ANIMADVRRSIO COMMVNIS I.

### *Perperam VValenburchios collocaſſe partes libri ſui, & quidem ordine planè inverſo.*

Prius quam pergamus in ſingulas *partes* animadvertere, poſtulat cauſſa veritatis, ut in communi ſaltim duo præmittantur.

Et verò initio ſtatim, non poſſumus non de illo à Walenburchijs inſtituto libri ordine aliquid dicere. Tres ſcilicet illi in partes cum librum ſuum diviſerint, Tertiâ demum Concuſſionem meam exceperunt impugnandam, Primam autem & Secundam in alienis plane occupavere. Eſt autem hoc non ſatis utique conveniens ſaltim illi quod agendum ſuſceperant. In ſua enim ad Sereniſſ. Principem Antonium Ulricum Epiſtola profeſſi ſunt, ſeſe meæ *Concuſſioni ſuam operam impendiſſe*. Debuiſſent igitur illam examini ſubjicere ſtatim parte primâ· Quam rem exemplo ſuo probaverant jam tum, omnes quatuor antegreſſi Concuſſionis oppugnatores.

Nec vero eſt quod quis exiſtimet, ea quæ Partibus prioribus diſputata ſunt etiam Concuſſioni detrahere aliquid auctoritatis, eamque adeò oppugnare. Aut enim Directè id fieri oportuit, aut Indirectè, aut modo utroque. At verò nec directe, nec indirectè, in illis quidem prioribus diſputationibus Concuſſionem Walenburchij attigerunt, multo minus igitur modo utroque.

Non directè. Ne verbulum enim quidem ibi temerè reperias, quo vel conati fuerint Walenburchij erroris convincere Concuſſionem. Imo verò admiſſis Axiomatibus & Hypotheſibus meis, imitati quoque ſunt ipſammet à me inſtitutam probandarum Concluſionum rationem.

Non indirectè. Quum enim indirecta probatio, Alia ſit verè [illegible], Alia non niſi ad hominem, uti loquuntur

scholæ: utraque verò in eo conveniat, quod deducta aliqua Conclusione vel reapse falsa, vel quæ falsa habeatur ab eo contra quem disputatur, indirecte probatur id falsum esse vel reapse vel ad hominem, ex quo Conclusio illa deducta est; nihil tamen horum à Dominis Walenburchijs est factum. Conclusiones enim quas parte pariter prima & secunda educere sunt conati ex propositis à me Axiomatibus & Hypothesibus, illi quidem credunt verissimas esse: imo voluerunt eas Protestantibus itidem persuadere, argumentis ex illo à me proposito principiorum fonte haustis. Quo simùl patet, non fuisse propositum Welenburchijs, indirectam ad hominem argumentationem instituere. Etsi enim noverint, conclusiones illas ex judicio Protestantium falsas esse; tantùm abest tamen, exinde ostendere illos voluisse, Axiomatum & Hypothesium Concussionis vitia à Protestantibus agnoscenda esse, ut plane egerint contrarium.

Ex Ipsorummet igitur Walenburchiorum quidem mente, pars Prima pariter & Secunda non oppugnat Concussionem. Imo stabilit potius & Axiomatum Hypothesiumque vim, & rationem disputandi abs me institutam. Si sane recte adversus Protestantes disputare voluerunt, necessum est ut exemplum meum quod secuti sunt, imitatione illa suâ comprobaverint.

Quantum in ipsis itaque fuit Walenburchijs, ad Concussionem meam labefactandam nihil plane attinent priores duæ Disputationes: sed ab illo negotio planè alienæ sunt. Quin igitur debuisse potius ultimo loco, non vero statim in prima acia collocari, utique manifestum est.

Forte tamen possit cui videri; saltim ipsismet Protestantibus oportere meritò esse suspectam veritatem Concussionis meæ, quum eâdem argumentandi ratione potuerint Walenburchij ipsa fundamenta Protestantium religionis convellere.

lere. Hactenus itaque multum conducere, illas disputationes statim initiò instituisse. Verum enimvero ab illa quidem sinistra suspicione omnes jubeo securos esse. Mox enim sole clarius patebit, quam sint irriti & vani omnes Walenburchiorum conatus.

Observandum præterea est, non propterea reapse falsa esse principia alicujus argumentationis, si Conclusio tibi adversa inde deducta sit: imò verò ubi apparuerit utriusque antecedentis propositionis veritas, discedendum esse à sententia pristina & cedendum veritati. Quapropter si justâ argumentatione usi sunt Walenburchij (nequaquam autem hoc egêre) immerito tamen propterea Concussionem in suspicionem falsi traxeris: multò minus hinc sequetur, eam reapse falsam esse sive principia spectes sive ipsasmet ex principijs deductas Conclusiones.

Esto nimirum, benè sese habere quæ utrobique probanda suscepere Walenburchij, vel ut clarius dicam, sit verè probatum: *Luthero & Calvino nihil fuisse juris prædicandæ doctrinæ suæ.* Hoc ipso non est ostensum, quod in Concussione haud sit demonstratum: *nec Romano Papæ nec Conciliis Rominensibus ullam competere infallibilem, circa fidei morumque controversias infallibilitatem, aut Papam falso sese Vicedeum venditare.* Quid enim reapse juvat Papæ & Conciliorum existimationem, Lutheri & Calvini vitiosum fortè jus docendi? Quid si & hi & Papæ & Romanensia Concilia uno communi laborent vitio? Id sane qui affirmant reperiuntur passim plurimi. Asserunt hoc omnes Græciæ & Orientales & Africanæ Ecclesiæ. Ne quid nunc dicam de Judæis toto orbe dispersis, & infinitâ Mahumedanorum, ac Gentilium multitudine.

Quamvis itaque optime sese habeat Pars Prima Walenburchica, Concussio nihil inde damni accipit. Par ratio

autem est & Secundæ partis. Sit enim ibi recte probatum: *Evangelicorum ab Ecclesia Romana secessionem improbam esse.* Ne hoc quidem juvat caussam Papæ & Romanensium Conciliorum. Fieri enim possit, ut non debuerint quidem Evangelici ab illis abire, etiam hi tamen aberrent à veritate. Perinde atque ostenderit quis fortasse, Persarum à reliquis Mahumedanis schisma iniquum esse; non tamen eo ipso religionem Mahumedanam probaverit, vero esse consentaneam.

Quod igitur, quocunque modo sese habeat pars Prima pariter & Secunda VValenburchiani libelli, neutra oppugnet meam Concussionem, sive reapse, sivè ex ipsorummet VValenburchiorum instituto, clarissimum utique jam est. Quandoquidem verò consimile nonnihil quale, quid à VValenburchijs heic factum est, etiam Capuccinus Valerianus ut & Jesuita Erbermannus fecere, subjungam hoc loco, quæ jam ante hosce annos octo de Capuccini saltim illo instituto scripsi, in prima mea illi opposita Responsione. Quo appareat scilicet jam tum idem quod nunc me docuisse.

Verba mea pag. 19. hæc tum fuerunt. *Sed ne sim amplius molestus jactantiæ tuæ, aut videar æstimare nonnihili tuam insultationem, dimittemus hunc locum, Valeriane, & RETORSIONEM tuam lustremus. Ante omnia vero fateor, ignorare me quid illa faciat ad hanc rem quam agimus. Si haberet vim instantiæ, ut Logici loquuntur, laudarem conatum. Data enim minore propositione vera sub majore, si sequatur falsa conclusio, indicio est majorem esse falsam. Tu vero Conclusiones adfers ex tua sententia veras, & disertis verbis fateris quæ à me mutuo accepisti Axiomata indubitatæ apud omnes homines fidei atque adeo naturaliter nota, Hypotheses etiam inter omnes Christianos concessas esse. Probasti igitur, imo stabilivisti, omnia à me allata disputationis principia: tantum abest ut tua illa Retorsio*

*faciat*

*faciat ad illa infringenda. Non nisi igitur videris voluisse insectari Principes nostros, odio quodam eorum ductus. Fac vero ô Frater Capuccine, veras esse omnes tuas Conclusiones de Principibus nostris: quid hoc juvat causam Paparum & Episcoporum, infallibilitatem divinam sibi arrogantium? Num quia Mahomet Pseudopropheta est, Innocentius non est? Ad hanc nostram disputationem nihil attinet, peccent Principes necne. Papam & Episcopos illos haud falsò infallibiles habitos, defendere tuum erat: id ubi fecisses, tum fortasse posses haud inique Principibus nostris controversiam movere. Iam vero nihil minus egisti hactenus quam probum illorum defensorem. Non indignaberis scio, (utique enim licebit tibi mensura eadem respondere) si reponam tibi illud Salvatoris quo sine caussa innocentem me in ipsa libelli fronte, quo animum sc. denudares, pungere voluisti: Hypocrita ejice primam trabem de oculo Tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

Hæc tum ibi. Reliqua addere non libet, nec opus est.

## ANIMADVERSIO COMMVNIS II.

### VValenburchios & iniquè & contra cônscientiam Parti *Primæ & Secundæ titulum aut inscriptionem indidisse.*

MEretur in communi Animadversionem etiam illud, quod VValenburchij non dubitaverint inscribere Partem primam & secundam titulo: *Concussionis fundamentorum credulitatis Lutheranæ & Calvinianæ &c.* Jam tum enim quamvis ea de re simus conquesti, exigit tamen veritas, ulterius persequi commissam in eo culpam.

Et verò cum inique tum contra conscientiam peccasse isthac inscriptione VValenburchios, non est difficile demonstratu.

Utique enim iniquum est, illud impugnare ceu *Fundamentum*

*mentum fidei*(apage enim ineptam *credulitatis* vocem) *Lutherana aut Calvinistica*, quod nemo illarum partium usquam tali loco habuit. Cum enim VValenburchij mea imitatione titulum illum finxerint, indubiè etiam illis (perinde ac mihi) *Fundamenti* illa] voce venit principium primum complexum, & cui inædificata est reliqua Fidei structura. At verò quis Protestantium, quæso, dogmata fidei suæ credidit propterea esse vera, quia vel Lutherus vel Calvinus extraordinarie vocatus sit à Deo ad prædicandam doctrinam orthodoxam? Non arbitror quenquam hactenus repertum, id qui fecerit. Si fortassis autem demens quis hoc fecerit, apertum utique est, unius insaniam totis Ecclesiis summa injuria adscribi.

Quinimo paulo post ostendemus, neminem forte hactenus repertum, qui eo quidem sensu, quo impugnandam illam susceperunt VValenburchij, *Extraordinariam Lutheri & Calvini vocationem* agnoverit. Quo utique manifestissimum est, multò minus Vocationem illam Protestantium Ecclesiis fundamentum religionis æstimari.

Quum appareat verò sic satis, VValenburchios in lectione scriptorum Protestantium omnis generis perquam esse occupatos, nec tamen illi invenire hactenus quenquam potuerint, qui Extraordinariæ isti missioni fidem suam inædificaverit, aut, quod perinde est, crediderit illam esse primum religionis & fidei principium: liquet utiq; simul, VValenburchios contra conscientiam impegisse universis Protestantium Ecclesiis confictam à sese culpam.

Quid? quod ipsi VValenburchij diserte in ipso suo quod appellant Præludio affirmunt: nostrûm nonnullos nihil de *Extraordinaria Lutheri & Calvini Vocatione esse sollicitos?* Saltim his itaq; illa vocatio non est Fidei fundamentum. Ac proinde inique & contra conscientiam omnibus illam culpam à VValenburchijs adscribi, etiam hinc manifestum est.

Quod

Quod Schiſma attinet, primo itidem certum eſt, non deeſſe inter ipſos Proteſtantes, qui quidem improbent Pontificiæ Eccleſiæ dogmata, nec tamen velint illa ſaluti æternæ obtinendæ officere: alios quamvis ſeverius judicent, non tamen mitiores iſtos communione Eccleſiaſtica excludere. Cum hi itaque ne quidem numero fidei dogmatum neceſſitatem Schiſmatis accenſeant, non profectò fundamentum fidei illam æſtimant.

Qui cenſent porrò, citra ſalutis diſpendium non poſſe Proteſtantes unam Eccleſiæ communionem fovere cum Papiſtis, inter dogmata neceſſaria quidem illam ſententiam habent, non tamen inter fundamenta fidei ſuæ collocant, ſed tanquam aliquod ex fundamento quaſi enatum.

Producant Walenburchij quenquam, qui placita Proteſtantium crediderit eſſe vera, propter Schiſma quod eſt inter Evangelicam & Pontificiam Eccleſiam. Ne hoc quidem illos poſſe certus ſum. Imo certus ſum, non ipſis minùs quàm mihi eſſe cognitiſſimum, neminem adeo deliraſſe.

Judicent ergò jam omnes boni, annon & inique & contra conſcientiam hac quoque in re Walenburchij egerint.

Nemini *prætereà* non conſtat, juſtam omnem demonſtrationem confici oportere, ex principijs & reapſe veris pariter & perſpectæ veritatis. Si Concuſſio itaque Walenburchica rectè ſeſe habeat, utique & illam oportet ejuſmodi principijs inniti. Certe non poteris ſalvâ conſcientiâ venditare, quod ſit verè apta concutere fundamenta fidei Proteſtantium, ſi ipſe dubites de ipſa principiorum ejus certitudine. Utrumque tamen factum eſt à Dominis Walenburchijs. Splendere ſcilicet fecerunt ipſam libri ſui frontem invidendo illo *CONCUSSIONIS FUNDAMENTORUM* titulo. Attulerunt etiam in medium *AXIOMATA*, tanquam *indubitata apud*

*omnes homines fidei, atq; adeo naturaliter nota*, HYPOTHESES item *quasi inter omnes Christianos concessas*. Ex Hypothesibus atque Axiomatibus ceu indubitatæ certitudinis principijs instituerunt suas quas vocant SEQUELAS. Ex adverso ipsimet non verecundantur laudatorum ita Axiomatum & Hypothesium quarundam, in parte Tertia, quando Pontificia caussa agenda venit, vim infringere. Quod profecto est vel fumos velle vendere Protestantibus contra conscientiam, vel ludere in serijs & sibimetipsi contradicere. Aut sane illa quæ parte tertia objiciuntur nonnullis Axiomatibus & Hypothesibus nullius sunt momenti: Aut apta illis infringendis. Si posterius est verum, iniquæ sunt omnes illæ Concussionis & Axiomatum Hypothesiumque laudes. Si iniquas verò laudes esse agnoverunt Walenburchij, contra conscientiam adeo superbè ostentarunt suam illam Concussionem. Si prius est verum (esse autem verissimum demonstrabitur à nobis) itidem improba est quæ in Parte Tertia instituitur Axiomatum quorundam accusatio.

Non est autem quod dicas forte: Argumentationes in Concussione institutas esse ex principijs apud Protestantes tamen receptis. *Primum* enim longe altius intonant laudes illorum, parte Prima & Altera. Nec *Secundò* meretur simpliciter splendidum *CONCUSSIONIS* titulum tractatio, subnixa falsis, & concessis tantùm ab adversario, principijs. Utique enim quicquid est ejusmodi argumentationum procul distat à natura & conditione Demonstrationis: qualem oportet esse probam Concussionem. Est verò tantùm Dialectica quædam & sæpe fallax imo fallens ratiocinatio. A qua in serio veritatis negotio est abstinendum.

# PARS PRIMA
# DE VOCATIONE EXTRAORDINARIA.

## CAPUT I.

## Præludium.

EOrum, qui in communione partis Lutheranæ vel Calvinianæ vivunt, alij, iique ingente numero, non tam religiosa, quam civili quadam pace, cum ea utuntur; quod in arcano aut omnem divinum cultum rideant, aut Lutherana Calvinianaque omnia, quam absint à vero, haud nesciant quidem, existiment tamen, illis suis sententiis dissimulatis, licere sibi eadem cum veris Lutheranis & Calvinianis sacra colere. Quâ in re quantum utrique fallantur, aliàs ostendetur. Quanto in periculo vivant posteriores illi religiosiores, mox palàm fiet. In illorum autem omnium, cum nihil sint minus quam Lutherani aut Calviniani, fidem quibus nitatur fundamentis, non est quod nunc inquiramus; eòque hactenus cum ijs nihil nobis nunc contentionis intercedit. Alij verò addictius colunt placita Lutheranæ vel Calvinianæ partis. Cum his igitur solis nunc disputabimus, inquisituri, & quibus rationibus moti ita sentiant, aut num quid 1
solidi istis rationibus subsit. Atque adeo fundamenta ipsa omnis Lutheranæ & Calvinianæ credulitatis sollicitabimus.

Cœterùm hi etiam plurimum dissident circa Vocationem primorum suorum parentum, Lutheri & Calvini. Sunt enim, 2
qui illis tribuunt vocationem extraordinariam, tanquam peculiariter à Deo missis ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas; quæ quidem sententia publicæ Calvinianorum confessioni reperitur inserta. Sunt qui existimant sufficere, si veritatem, quam putant Evangelicam, audiant à suis Ministris, nihil de extraordinaria Lutheri & Calvini vocatione solliciti. Similiter quamvis omnes Lutherani & Calviniani sciant suos majores priorem unitatem Ecclesiæ Catholicæ deseruisse, & novos cœtus Ecclesiasti-

eos per divisionem instituisse; agnoscantq;, id sine gravissimo crimine Apostasiæ & Schismatis fieri non potuisse, nec etiamnum ijs adhæreri posse, nisi justa & necessaria causa primos recedentes impulerit, & etiamnum sequaces impellat; non tamen vel Luthe-
3 rani vel Calviniani inter se unam eandemque, cùm desertionis, tum erectionis privatorum cœtuum Ecclesiasticorum, causam proferunt, sed unusquisque pro libitu suo modulatur: ut hoc videatur sufficere quod cuique placuerit.

Et verò, cum ipsa salus æterna in eo versetur, ut sciamus nos esse membra veræ Ecclesiæ horrendo schismatis malo non la-
4 borantis, ut nobis perspectum sit, esse veros in Ecclesia Ministros qui pro talibus se gerunt; in officio est Christiani hominis, non temerè tanti in momenti negotio se habere.

Vt veritas proindè eò clariùs in conspectum perveniat, ab omni sermonis fuco temperabimus disputationem, & quemadmodum Mathematici solent, quantùm fieri potest, maximè nudè & simpliciter, quæ huc faciunt in medium proferemus. Initiò igitur Axiomata quædam omnibus hominibus nota, mox & Hypotheses quasdam Christianis itidem omnibus receptas proponemus; indè visuri, quid ex illis axiomatibus & hypothesibus, cùm de Vocatione extraordinaria Lutheri & Calvini, tum de Desertione unitatis Catholicæ & Erectione privatorum conventuum Ecclesiasticorum, sit statuendum.

## ANIMADVERSIO.

1. *Et quibus rationibus moti*) Cum ipsa Concussionis meæ verba Domini Walenburchij imitari imò exprimere voluerint, simul mecum debuissent idem agere. Sollicitavi nimirum ego ipsissima principia & fundamenta Pontificiæ fidei; illi verò verbis quidem idem & sese agere professi sunt, nihil tamen quàm hoc egerunt minùs. Ut enim jam ante conquestus sum; in quæ Domini Walenburchij hoc libello inquirunt, non sunt *rationes* quibus Protestantes in sententias sunt tracti, atque adeo non sunt Fidei Protestantium *fundamenta*.

2. *Sunt enim qui illis tribuunt*) Nos verò infra ostendemus,

mus, ad cap. x. cumprimis & xi, reapse Protestantes ea in re haud dissentire: nec Gallicæ Confessionis verba eo sensu, quo à Walenburchijs accepta sunt & oppugnata, accipi debuisse.

3. *Inter se unam eandemq;*) Si rem ipsam videas, ne hîc quidem esse multum disparitatis sententiarum, itidem infrà probabimus.

4. *Vt nobis perspectum sit*) Ipsimet Walenburchij paulo ante aperte fassi sunt, esse inter Protestantes, *qui existiment, sufficere, si veritatem Evangelicam audiant à suis Ministris, nihil de Extraordinaria Lutheri & Calvini Vocatione sollicitos.* Idem affirmant cap. 16. Item parte tertia cap. vi. cum hæc verba mea adduxissent: *si quod latens vitium subsit Ordinationi, sacram talem potestatem non impedit*, mox subjungunt: *scimus hanc esse vestrorum sententiam.* Notum igitur utique ipsis fuit, procul nos esse ab eo ut credamus: *salutem æternam in eo versari, ut nobis perspectum sit, esse veros Ecclesiæ Ministros qui pro talibus se gerunt.* Perperam ergo hæc ità proponuntur, quasi apud nos etiam sint in confesso. Nos sane in illa omni inquisitione nihil ad salutem momenti esse, constanter asserimus.

Haud nos fugit, aliter sentire Papistas atque adeo & Dominos Walenburchios. Sed solam suam assertionem nullius apud nos auctoritatis esse, etiam ipsos haud fugit. Priùs igitur quàm hanc disputationem aggrederentur, debuissent utique Walenburchij probasse Protestantibus, magnum illud saluris pondus quod ipsi existimant huic rei inesse. Hoc fuisse in officio boni disputatoris, non possunt ipsimet Walenburchij ignorare.

Quinimo, quandoquidem Domini Walenburchij confitentur, quammultos Protestantium, Extraordinariam sive Lutheri sive Calvini sive aliorum qui reformandæ atq; in integrum

grum restituendæ Ecclesiæ operam suam impendêre, nullam agnoscere; saltim hos nihili æstimaturos omnem hanc Primæ partis disputationem (cujus nempe summa est, Lutherum & Calvinum Extraordinariè non fuisse à Deo in id vocatos) tanquam sibi non adversantem, pro eo quo pollent judicij acumine jam dudum sciverunt. An non ergo inanis est jactantia, hoc dissimulare, atque ita disputationem instituere, quasi Protestantes universi Extraordinariam Lutheri aut Calvini vocationem non tantùm affirment, sed & pro suæ fidei ipso habeant fundamento? An non hæc summa & aperta est in Protestantes saltim quammultos commissa iniquitas? An non crimen est, ipsam Walenburchiorum conscientiam lædens?

Dixeris fortè: Walenburchios tamen arbitrari, Luthero & Calvino fuisse opus Extraordinariâ vocatione, si jure potuerint Ecclesiam reformare. Verùm hactenus id Protestantium nemini, saltim non illis quos diximus, persuasum fuit à VValenburchijs. Sed & ne verbulum quidem fecerant hactenus VValenburchij ad id persuadendum. Non diffiteor, cap. x. & sequentibus, quædam ab ijs adferri, quæ videri possint huc facere. Sd hoc quidem est saltim, ordinem turbare justæ disputationis. Debuissent scilicet illa præmitti non subjungi demum. Si enim Lutherus & Calvinus, aut Protestantium alij sive omnes sive quammulti, ultrò profiteantur, Extraordinariè sese à Deo non esse (eo scilicet sensu quo Extraordinarium accipiunt Papistæ vulgò & VValenburchij) ad reformandam Ecclesiam missos: Si item tali Extraordinaria missione reapse non fuit opus; utique inane fuit demonstrasse: *Lutherum & Calvinum aliosq; non fuisse extraordinariè à Deo missos*. Hæc scilicet disputatio fuerit luctatio cum larvis. Et verò talis est omnis ille VValenburchianus labor usque ad caput nonum. Quo probarunt scilicet, id quod nemo negat.

Multò

Multò magis illa universæ operæ vanitas elucet, expenso quod hunc librum suum Domini VValenburchij mihi cumprimis voluerint oppositum: non tantùm verò publicis scriptis aliquoties dudum à me affirmatum, *circa Reformationis Ecclesiasticæ negocium, nec factam fuisse aliquam cælestem Reformatorum ad illud vocationem, nec illa fuisse opus:* verum etiam prolixe & multis argumentis idipsum fuerit à me demonstratum. Quorum nihil ipsos VValenburchios fugisse, apparet cùm ex Partis Secundæ cap. VII. ubi adducunt ipsa mea verba, quibus hoc de argumento disserui pag. 18. *Præfationis ad Cassandrum:* tum cap. 3. Partis Sextæ, ubi itidem nonnulla mea hujus argumenti adferunt ex pag. 45. *Examinis libelli Erbermanniani*, & conantur confutare. Imò cum attente legerint Erbermannianum Examen Examinis, indubie reperêre Interr. 8. §. 2. pag. 9. mentionem factam libri mei cui Titulus, *Defensio Ecclesiæ Protestantium adversum duo argumenta Pontificiorum.* An non itaque hujus meæ à thesi, quam illi Protestantibus simpliciter adscribunt, (injuriâ tamen) dissensionis aliqua saltim debuisset mentio fieri? Annon debuisset saltim indicari: me ultrò agnoscere, nec Lutherum nec Calvinum cœlitus extra ordinem vocatos esse, atque adeo contra me illa Primæ partis disputatione opus non esse? Annon debuissent statim sub initium confutari, quæ contra necessitatem Extraordinariæ illius vocationis disputavi? Provoco hîc ad judicium omnium qui rectè disputandi docendiq; sunt gnari. At verò horum nihil suo loco est actum. Quinimo nusquam in toto hoc libro justa aliqua meorum illorum oppugnatio instituta est. Videat lector caput VII Partis secundæ: Videat caput tertium Partis Tertiæ. Observabit profecto priore loco, meis in medium productis, ne verbulum quidem quod verè ad rem Extraordinariæ vocationis faceret repositum esse: & illius

Partis argumentum esse non amplius de illa Vocatione sed de Schismate. Observabit item altero illo loco, nonnihil quidem meis ibi adductis esse responsum, sed non nisi obiter, cum Capitis inscriptio esset: *De providentia Dei circa Ecclesiam.* Sub qua rubrica, non temere profecto quis exspectasset aliquid adversus meam doctrinam de Extraordinaria vocatione. Hoc enim duntaxat hîc nunc monebo: quoniam ipsum examen servo in horas secuturas.

---

*APPENDIX ANIMADVERSIONUM*

## Ad Caput I.

*Qua accurate docetur, ad Reformationem Ecclesiæ instituendam, Vocatione proprie ita dicta, nec Ordinariâ nec Extraordinariâ, cuiquam Reformantium opus esse aut fuisse.*

EX ijs quæ modò attulimus, jam tum nemini non, arbitror, est manifestum, quàm non observatæ sint à Dominis VValenburchijs in Prima libri parte bonæ & rectæ disputandi leges: quàmque adeo sit cum iniqua tum inanis omnis illorum statim in primo hoc insultu impensa opera. Eapropter licet nobis etiam relinquere hanc disputationis arenam: nihil ultra scilicet à nobis exigente ulla disputandi lege. Quandoquidem autem non est nobis animus, tam more disputantium Dialecticorum victoriam ex adversario prostrato petere, quàm & inquirere & docere ipsam veritatem: addemus nonnulla adhuc de toto hoc argumento, atque illius veritatem hîc etiam, postquam id agendi data est occasio, producemus in lucem. Nec tamen novis adferendis est quod hîc nos fatigemus, quandoquidem abunde aliàs quæ huc pertinent, & breviter simùl & prolixius, sumus persequuti. Suffecerit ideo sola illa rursum

attulisse. Quo facto æquus arbiter judicaverit, quàm justa fuerit nostra de Dominis Walenburchijs querela. Quod scilicet adversarios sese meos professi, integram Disputationem suam primam exstruxerint super eo, tanquam confesso, quod hactenus aliquoties à me esse acriter impugnatum ne ipsos quidem fugiebat.

Prius tamen quàm illa adferamus, paucis ipsum Controversiæ statum proponemus, & vocabula nonnulla ab ambiguitate significationis liberabimus: præsertim quoniam hoc (consilione an per inscitiam, alii dixerint) à Dominis VValenburchijs est neglectum: imò quoniam variâ illa significatione & sese & alios gravissimè fefellerunt.

Igitur ex usu Ecclesiæ communi, *Vocatio* omnis est actio qua alicui personæ opus aliquod committitur ab eo penes quem committendi potestas est. Talis commissio autem potest fieri vel aperte & quasi verbis disertis, vel minus expresse: item vel in communi omnibus, vel seorsim aliquibus. Quæ aperte instituitur solennis commissio personæ alicui, illa propriè magis solet vocatio usurpari: altera minus propriè. Usu Ecclesiastico receptissima significatio τῆς *Vocationis* est, commissio operis docendi & sacramenta administrandi in Ecclesia, certis personis aperte facta. *Ordinarium* est quod recepto mori convenit: *Extraordinarium* quod à more communi recedit. Jam verò Vocatio sive commissio operis docendi & sacramenta administrandi, more communi fit ab hominibus, & aperte, & certis personis, secundùm leges & consuetudines cujusque loci. Itaque talis Vocatio κατ' ἐξοχὴν & usitatissima significatione est *Vocatio Ordinaria*. Si commissio illa non fiat more recepto, h. e. vel non ab ijs à quibus solet, vel non ijs quibus solet, vel non eo modo quo solet fieri, non tamen inique, *Vocatio* est *Extraordinaria*. Potest autem fieri etiam ab ipsomet Deo immediate,

idque nunc aperte & certis personis, nunc aperte quidem sed in communi omnibus, nunc occulte & certis personis. Omnis ejusmodi Divina Vocatio est Extraordinaria quidem, reapse tamen multiplex. Quoniam verò, ceu ante diximus, *κατ᾽ ἐξοχὴν Vocatio* est operis certæ personæ apertè facta commissio: *Extraordinaria divina* vocatio itidem *κατ᾽ ἐξοχὴν* est illa demum, quæ fit à Deo aperte certis personis. Observatis hisce vocum definitionibus, proponemus jam per theses sententiam nostram, idque distinctè.

Igitur *primùm:* quando status Ecclesiæ integre sese habet, tum munia docendi pariter & sacramenta administrandi utiliter committuntur solis ijs, qui vocatione ordinariâ proprie sic dictâ sunt constituti. *Secundo.* quando status Ecclesiæ ita est compositus, ut vel nulli possint vocatione ordinaria ad Ecclesiasticas functiones obeundas constitui, vel qui sunt constituti, aut haberi ad usum nequeant, aut fidei morumque vitijs ita sint infecti, ut & ipsi sint inemendabiles, & meliorum vocatio ordinaria non inveniat locum: tum nihil vetat, quò minus illi qui non sunt ordinariè vocati munia docendi & sacramenta administrandi obeant. *Tertio.* In tali, quem modò proposuimus, corrupto statu, illi qui non sunt Vocatione Ordinaria constituti, tenentur in conscientia, vi communis vocationis Christianorum omnium, pro viribus Ecclesiæ omnia administrare. *Quarto.* Extraordinaria divina vocatione proprie dicta, etiamsi cesset Ordinaria, non est opus ad munia docendi orthodoxam doctrinam & reformandi fidei ac morum vitia, ut nec ad sacramentorum administrationem. *Quinto.* Ante Ecclesiæ reformationem, is fuit, plærisque per Europam locis corruptus Ecclesiæ status, ut & jure potuerint, & alicubi debuerint, Vocatione Ordinaria haud exspectata, meliores & docti quique Reformationem Ecclesiæ instituere. *Sexto.* Reformatoribus

matoribus illis non fuit opus ad id divina Vocatione proprie dicta. *Septimo.* Nemo Reformatorum ad id fuit proprie dicta divina Vocatione constitutus. *Octavo.* Nec Luthero nec Calvino proprie dicta vocatione divina fuit Reformatio commissa. *Nono.* Nemo illorum proprie dictam divinam vocationem unquam jactitavit. *Decimo.* Nihil obstat, quo minùs credamus, præstantes illos piosque viros, per quos Reformata est Ecclesia, occulto divino motu, atque ita extraordinem, minus proprie dicta Vocatione divina, ad id opus excitatos esse. *Undecimo.* Aliam extraordinariam divinam vocationem in Reformationis negotio, nemo temere Protestantium hactenus agnovit. *Duodecimo.* Qui à Deo est vocatus proprie sic dicta vocatione, ille ut fidem inveniat, debet à Deo instrui certo aliquo divino testimonio. *Decimo tertio.* Nemini divinitus non ita vocato, opus est ullo divino testimonio. Adeoque nec, *Decimoquarto*, opus est tali testimonio divino Ecclesiæ Reformatoribus.

Hæ Theses comprehendunt liquidò sententiam Protestantium de necessitate Vocationis Ordinariæ humanæ, & Extraordinariæ Divinæ, cum simpliciter, tum Lutheri Calvini aliorumque Ecclesiæ corruptæ Reformatorum. Subjungemus jam quæ in eorum probationem non semel diximus. Et quidem initiò adducemus nonnulla ex libello, cui titulum fecimus: *Defensio Ecclesiæ Protestantium adversum duo Pontificiorum argumenta, petita à successione Episcoporum ac Presbyterorum ab Apostolis usq; derivata.* Illa tamen duntaxat quibus ostendimus, lege divinâ non esse constitutum, ut solus clerus primò semper & unice, munium Ecclesiasticorum obeundorum habeat potestatem; sed id juris omnibus Christianis esse concessum; quorum proinde nomine & loco, non nisi tanquam ministri, clerici legitimi juxta le-

ta leges Ecclesiæ positivas vocati & constituti, fungantur muneribus Ecclesiasticis. Ibi scilicet respondentes ad illum Pontificiorum syllogismum: *Ubicunq; non reperiuntur Episcopi & Presbyteri, ordinati ab iis quibus perpetua ab Apostolis legitima facta successione jus est ordinandi, ibi non est vera Ecclesia: Atqui apud Protestantes non reperiuntur ejusmodi Episcopi & Presbyteri: Ergo apud illos non est vera Ecclesia:* negata Majore propositione, confestim hæc adducimus.

I. PRimum, Lege quidem divina atque æterna ad veræ Ecclesiæ essentiam presbyteros aut Episcopos non exigi, multo minus tali aliquo præcepto constitutum esse, ut Episcopus aliquis Presbyteris præsit, aut hi non nisi ab Episcopo, Episcopi vero vicissim ab Episcopis solis ordinari queant: argumento est certissimo, cum Novi Testamenti universi, tum universæ primitivæ Ecclesiæ altum hac de re, sive de tali aliquo divino præcepto, silentium. Non potest scilicet esse juris divini, quod ad nos apertis Apostolicorum monumentorum dictis haud pervenit: cum utique de essentia legis obligantis sit, itâ promulgatum esse à legislatore, ut ipsius illa voluntas venerit ad notitiam eorum quos debet obligare. Iam verò in Novo Testamento nihil tale perspicuis verbis exigi, clarissimum est.

Imo ex omnibus primorũ Ecclesiæ seculorum monumentis divini talis præcepti memoriam nemo produxerit: & tamen illius ævi Patribus res fuit cum sectis hæreticorum, quorum primi auctores plærumque non fuere presbyteri aut Episcopi in Ecclesiis Catholicis ordinati, sed

ti, sed laici ordinis: prout saltim ex Augustino atq; Epiphanio cuilibet in promptu est cognoscere. Cum igitur ne à Patribus quidem illis talia divina præcepta sectis sui ævi objecta esse, uspiam sit legere, etsi aliàs tamen nihil illi omiserint quod faciat ad illas debellandas: manifestum utiq; est, non existimatum esse illo ævo in Ecclesia universa, lege divina talia postulari ad veræ Ecclesiæ naturam. Hoc sane silentium perpetuum aurei illius ævi, certissimum itidem nobis dat argumentum, leges ejusmodi divinas latas non esse.

In monumentis Apostolicis nos (fatemur) nihil tale invenimus & quidem perspicue propositum. Quod nos non possumus, legant ergo nobis Pontificij; & ostendant, ejusmodi, ceu ad veram Ecclesiam necessaria, uspiam nobis injuncta esse. Agamus per partes. Ostendant, ex divino instituto Sacramenta nunquam rite peragi nisi à legitime ordinatis clericis. Ostendant lege divina, presbyteros debere subesse alicui Episcopo. Ostendant lege illa, presbyteros aut Episcopos non posse rite ordinari nisi à rite ordinatis ejusmodi Episcopis. Ostendant, tali lege necessariò requiri, ut omnis ordinatio fiat ab eo qui est more veteri Ecclesiastico ordinatus. Ostendant deniq;, talia omnia exigi ad omnis veræ Ecclesiæ constitutionem. Hæc inquam omnia sua legant nobis Pontificij, verbis non ambiguis aut obscuris (talia enim non habent vim obligandi legalem) sed perspicuis & claris, obtinendæ salutis ergo,

 fuisse

fuisse præcepta, in Apostolicis & Canonicis monumentis. Si non possunt legere, ut non possunt, fateantur ergo nobiscum; saltim in Canonicis literis tales leges divinas non reperiri.

Recurrant porrò si placuerit, ad primæ Ecclesiæ traditionem. At verò nisi docere poterint; in primâ illâ aureâ Ecclesiæ ætate, unanimi consensu fuisse creditum, isthæc omnia modò dicta tanquam saluti necessaria divinitus instituta esse: etiam traditio illos non juvabit. Nec enim ejus quod docuerunt Apostoli, certum testimonium aliud, aut traditio alia certa, Ecclesiæ quidem dari potest. Hactenus verò talia testimonia à Pontificijs producta non sunt, nec possunt produci: nos sane contraria omnia paulò pòst ostensuri sumus. Itaque nec in traditione Ecclesiæ ullum Pontificijs est probandis suis thesibus præsidium positum.

Major itaque illa propositio omninò falsa est. Imo temeraria, addo & impia est: cum exigat ad salutem quæ isthuc non faciunt, atque adeo prædicet nobis novum aliquod Evangelium, ultra id quod semel ab Apostolis est traditum.

Nec verò ijs quæ attulimus reluctantur, quæ passim in Sacris Apostolorum monumentis habentur, de Pastoribus, Episcopis, & Presbyteris, Ecclesiæ à Deo ipso præfectis. Vt Actor. xx. 28. Presbyteros Ephesinos alloquitur Paulus: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei,*

*quam*

*quam acquisivit sanguine suo.* Ephes. IV. 21. asseritur, Christum ipsum dedisse *Pastores & doctores*. Alibi non semel narratur, quemadmodum ab ipsis Apostolis ordinati sint Episcopi & Presbyteri, simulque præscriptum, quales in ordinem legi oporteat. Hæc inquam nobis haud reluctantur. Primùm enim, ijs verbis ne quidem hoc asseritur, à Deo ita institutos Episcopos, ut nullus cœtus sine ijs sacra possit Deo rite facere. Sunt nimirum Ecclesiæ Dei quædam necessaria, sed nec omni nec semper; quæ tamen nihilominus lege divina sunt instituta & à Spiritu S. profecta. Sic Apostolatus munus divini est juris, ac si quod aliud Spiritus S. gratiâ dotibusque ornatum; & tamen non nisi in usus certos Ecclesiæ aliquamdiu datum. Sic idem Christus, qui S. Paulo teste dedit *pastores & doctores*, dedit *alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios vero Evangelistas;* constituit *virtutes, gratias curationum, oppitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Ita *alii per Spiritum datus sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in uno spiritu: alij operatio virtutum: alij Prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum*, dicente eodem sanctissimo Apostolo. Episcopatus igitur sive Presbyteratus munera juris quodammodo divini esse, fatemur utique & nos. Fatemur etiam, illa Ecclesiæ non utilia tantùm sed etiam necessaria esse: non perinde tamen

men necessaria ut adversarij volunt, quasi absque ijs nulla sacra Deo placentia celebrari possint. Necessaria scil. sunt ad multitudinem in unum cœtum sive corpus coagmentandum: quippe quæ absque constitutis præsidibus diffluit & factionibus dissolvitur. Vbi grex nimirum est, ibi in gregis salutem opus est Pastore & Episcopo: & hoc dicunt omnia præcepta Episcopis data. At sacra possunt etiam peragi, imò interdum debent, ubi grex non est. Curatio igitur Episcoporum Pastorumque ex jure divino, est non simpliciter omnium sacrorum peractio, sed sola illorum ad usum alicujus gregis celebratio. Cujus gregis cum alibi atq; alibi dispar sit conditio, hinc ipsa naturali lege par est, ut curatio isthæc sit alia atque alia; prout scil. usus gregis expostulat. Habet scilicet sese res plane ad eum modum, ut ratio vitæ humanæ omnis. Indiget hæc judicibus & rectoribus civilibus, non simpliciter; quasi absque illis consistere omnino nequeat: sed si quando major est hominum cœtus, præsertim si ille in civitatem debeat aut velit coalescere. Alioquin enim quisq; imperat suæ domui, aut sibi quisq; rex est. Pro ut porrò non omnis civilis societas hominum admittit par regimen: ita nec omnis societas Ecclesiastica. Iam verò hoc quidem est juris æterni, ut magnæ hominum multitudines quæ in unum corpus coire appetunt, communes præsides habeant: omne reliquum autem est commissum humanæ prudentiæ, scopo

uno

uno omnibus proposito publicæ salutis. Ita divini est juris, ut similiter major quæque multitudo Christianorum suos communes habeat Pastores aut Episcopos: omne reliquum autem à jure dependet Ecclesiasticæ prudentiæ positivo.

Igitur ne hoc quidem evincat quis, ad sacrorum legitimam celebrationem simpliciter opus esse Episcopis aut Pastoribus. Tantùm abest, ut in speciem quidquam adferri possit ex sacris monumentis de cæteris, quæ itidem divini esse juris, in Majore propositione quasi extra controversiam ponitur.

SECUNDO quod speciatim attinet id quod diximus, *nulla divina lege mandatum esse, ut soli clerici legitime ordinati sacra celebrent:* non tantùm ex illo silentio sacrarum literarum & primitivæ Ecclesiæ monumentorum est manifestum, verùm etiam ex satis multis indicijs, quæ & sacræ literæ & illa ipsa Ecclesiæ monumenta palàm exhibent. II.

Nam ut de sacris illis testimonijs primo loco dicamus, utique in illis literis cœtus etiam illi qui clericum non habent Ecclesiæ nomine solent venire: qualis fuit domestica Ecclesia Aquilæ & Priscillæ cujus meminit Apostolus Rom. XVI. v. 5. & 1. Corinth. XVI. 20. Philemonis item memorata in epistola ad illum. Nemo dixerit autem Ecclesiam, quæ caret Ecclesiæ proprijs sacris. Omnes porro in universum fideles S. Petrus dignatus est titulo, *Sacerdotii sancti* & *regalis Sacerdotii*

1. ep. II. 5. & 9. non itaque ab ijs res ipsa aliena est, sacrorum inquam Ecclesiasticorum celebrandorum facultas, quæ unice efficit sacerdotem.

Inter munia sacra Apostolis ipsis à Christo injuncta, quæ primaria fuerunt, officium scilicet docendi & baptizandi; illa communia ex æquo omnibus facta esse, liquidò sanè apparet. Sic omnes à cæde Stephani dispersos evangelizasse, interque eos Philippum diaconum baptizasse viros & mulieres & Eunuchum Æthiopem, legimus Actor. IIX. In eadem Apostolica historia c. XV. invenimus in decidenda nobilissima illa controversia, *utrum observanda sit lex Mosaica gentilibus conversis*, ipsosmet Apostolos præter presbyteros auctoritatem *populi* adhibuisse. In eadem caussa *multitudinem* convocari oportere, & Apostoli & Presbyteri agnoscunt Actorum *XXI*. 22. De Priscilla fæmina non minus quam de marito ejus Aquila, scribitur cap. XIIX. 26. *quod exposuerint viam Domini.* S. Paulus utrumque conjunctim non dubitavit appellare Rom. XVI *adjutores suos in Christo Iesu.* Tantùm in sacro conventu jussit tacere fœminas Apostolus ille 1 Corinth. XIV. 34. In quo, præter Presbyterum aut præsidem, alijs quoque, nullo clericatus discrimine, fas fuisse verba facere, ex illo ipso capite palàm est. Hinc auctor commentarior. in Epistol. ad Ephesios, qui Ambrosius vulgo audit est autem forte Hilarius Romanæ Ecclesiæ sub Liberio Papa Diaconus, ad cap. IV:

*Postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ & officia ordinata, aliter composita res est quam cœperat. Primum enim* OMNES *docebant, &* OMNES *baptizabant, quibuscunq; diebus vel temporibus fuisset occasio.* Item: *Ut cresceret plebs & multiplicaretur,* OMNIBUS *inter initia concessum est & Evangelizare, & Baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare. At ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, & rectores, & cætera officia in Ecclesia sunt ordinata, ut nullus de clero (forte scrib.* de cætero) *auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditū vel concessum: & cœpit alio ordine & providentia gubernari Ecclesia: quia si omnes eadē possent irrationabile esset, & vulgaris res & vilissima videretur.*

Porro & Eucharistiam faciendi potestatem *omnibus mandatam à Domino*, non tam agnoscenti idipsum Tertulliano *l. de Corona milit.* credimus, quam ipsis Dominicis verbis, quæ à S. Paulo etiam sunt repetita & sic aptata omnibus Christianis, ut facile appareat, non solis Clericis eam facultatem à Domino esse factam.

Ligandi solvendique vim, sive jus clavium quod appellant, non solis Presbyteris aut Episcopis à Domino concessam esse, perspicuum est ex cap. XIIX. 19. Matthæi: prout fassus est in loci illius interpretatione & Origenes, & Augustinus, & Theophylactus. Hujus hæc sunt verba: *Si tu offensus habes eum qui te injuria affecit, sicut publicanum & gentilem, erit ille & in cœlo talis; si autem solveris eum h. e. ignoveris, erit ei & in cœlo condona-*

*tum. Non enim solùm quæ solvunt sacerdotes sunt soluta, sed quæcunq, & nos injuria affecti vel ligamus vel solvimus & ipsa erunt ligata vel soluta.* Origenis & Theophylacti illam interpretationem fuisse, agnovit quoque Maldonatus. Addemus vero & S. Augustini verba hom. xv de verbo Domini: *Si fratrem habes pro ethnico & publicano, ligasti illum in terra: si correxeris fratrem, solvisti illum in terris.* (Addo: memoratu digna esse quæ habet Origenes ad caput xvi Matthæi de omnibus fidem Petri habentibus: solis illis & omnibus jus ligandi solvendique competere. Pertinet etiam huc illud Salvatoris: *Dic Ecclesiæ*: qua voce utique membra omnia socia illius cœtus intelliguntur. Nec ab Apostolo Paulo solo traditus Satanæ incestuosus est, sed simul à Corinthijs cum Spiritu Apostoli congregatis: ut legitur *1. Corinth. V. 4.*)

In universum denique, illa divinitus omni populo fideli concessa sacra auctoritas, etiam inde haud obscure datur intelligi: quod Presbyteros singulari aliquo *Sacerdotum* titulo nunquam honoraverint Apostoli, nec in muneri proprijs legibus aliquam sacrificiorum celebrationem ullo memoraverint verbulo; ex adverso autem non nisi τῶν πρεσβυτέρων & ἐπισκόπων titulis dignitatem eorum appellaverint. Qui tituli recepto tum & inter Iudæos (quos maxime imitati sunt Apostoli) & inter Gentiles loquendi more, nihil significabant verè Sacerdotale, sed à Sacerdotibus alieni, tantum de popularibus magistratibus, quales erant & in synagogis, usurpabantur.

EADEM omnia agnovit primitiva & aurea Ecclesiæ ætas. *Vbi tres, Ecclesia est, licet laici*, dicebat Tertullianus.

lianus. Idem, *Nonne & laici*, inquiebat, *ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem* (clericum ſcil.) *& plebem conſtituit Eccleſia, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers & tinguis & ſacerdos es tibi* (laico ſcil.) *ſolus.* Paulo infrà aſſerebat: Laicum *habere jus ſacerdotis in ſemetipſo, ubi neceſſe eſt.*

Si per ſingula clericorum munia eamus, deprehendere eſt, & illa ætate & omni ferme pòſt ævo, laicis non minus atque clericis fuiſſe fas, uſu exigente, omnia illa peragere quæ ſolent committi aliàs Presbyteris legitime ordinatis.

Et quidem dubio penè caret, etiam laicis ſemper licuiſſe & ſcripto & vivâ voce doctrinam Fidei propagare. In Catalogo ſane ſcriptorum Eccleſiæ quem Hieronymus nobis reliquit, æque multos ſi non plures deprehendere eſt laicos atque ex clero. Sequiore demum tempeſtate ab Vrbicis Papis capit. *Quicunq; de hæreticis* in 6. §. *inhibemus*, cautum eſt, *ne quis laicus privatim aut publice audeat diſputare de fide: qui verò contra fecerit excommunicationis laqueo innodetur.* Agnoſcit vero & Cajetanus legem hanc odioſam eſſe. Nec vero in ipſa Eccleſia Romana obſervata eſt. Quin imo ſuperiore ſeculo Henricus Angliæ Rex, ſcriptis contra Lutherum libris, *Defenſoris Fidei* titulum à Papa Leone promeruit: & ſummis laudibus evectus eſt Albertus Pius Car-

porum Princeps ob ſuas in Eraſmum invectivas. Iis quoque in locis ubi & Presbyteri & Epiſcopi non deerant, admiſſos olim ad docendum populum in ipſa corona Eccleſiæ laicos, argumento eſt unus pro plurimis Origenes; cujus aliorumque exemplo recte docet Euſebius, λαικοὺς ὁμιλεῖν οὐκ ἀνέθιστον, ſi id fiat τῇ τοῦ προεστῶτος ἐπιτροπῇ. Nec id qui improbaverit quenquam temerè reperias, ante Leonem Magnum epiſt. 62. Monachorum πολυπραγμοσύνῃ irritatum. Idem Origenes adhuc laicus à Demetrio Alexandrino Epiſcopo miſſus eſt in Achajam, compeſcendis hæreſibus quibus illa vexabatur. Diaconis alibi quidem concionari fuerit vetitum, Ioannes tamen Chryſoſtomus adhuc Diaconus, præſente Meletio, Antiochiæ habuit diſertiſſimas illas homilias de incomprehenſibili Dei natura, de anathemate, adverſus Iudæos, alias. Fecit idem Ephraim Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus: qui teſte Hieronymo *ad tantam venit claritudinem, ut poſt lectionem ſcripturarum publice in quibuſdam Eccleſiis ejus ſcripta recitarentur.* (Addo: quod receptiſſimo etiam apud Pontificios more, doceant hodie ſacra in ſcholis publicis & alibi Theologi ſeculares: ejuſque notæ diu fuiſſe ipſoſmet VValenburchios. Quod ſi porrò in Concilijs Epiſcopi repræſentant Eccleſiam, cum Eccleſiæ pars bona ſint laici, laicorum vice Epiſcopos controverſias definire, dicendum venerit. Canon porro primus Synodi Ancyranæ, antiquisſimæ utique, vetat quidem Diaconos κηρύσσειν h. e. in concione Eccleſiaſtica docere, non tamen niſi illos qui Dijs ſacrificarant.)

Porro

Porro & Baptiſmum poſſe à laico conferri, atq; adeo hoc primum Eccleſiæ ſacramentum non eſſe jure divino commiſſum ſolis clericis, hodieque obtinet in ipſa Eccleſia Romana. Iam ſane ante audivimus diſerte provocantem Tertullianum ad morem ſui ævi, quo & *Laicus tinguebat, ubi Eccleſiaſtici Ordinis conſeſſus non erat.* Idem ab illo longe clarius aſſeritur l. de Baptiſmo cap. 17. ubi docet, exigente neceſſitate omnino debere laicum baptizare, non vero id ipſi duntaxat eſſe permiſſum. Hieronymus quoque ſcribit dialogo adverſ. Luciferianos: *Si neceſſitas cogit ſcimus etiam licere Laicis baptizare.* Exſtat eadem de re canon 38 Concilij Eliberitani, & conſenſus Gelaſii Papæ & Iſidori Hiſpalenſis, quanquam hic ſibimetipſi contradicat.

Eadem porro Tertulliani tempeſtate licuiſſe Laicis & εὐχαριστεῖν, manifeſtum eſt ex verbis Tertulliani, deſumptis ex libro de *Exhortatione Caſtitatis*, quorum partem jam tum adduximus. Ille etenim nuptias ſecundas nec Laicis fas eſſe inire, Montani plenus ſpiritu, probaturus, exemplo eſt uſus clericorum quibus id vetitum credebatur; idque propterea quoniam eſſet recepti moris ut Laicus quoque & tinguat & offerat, ſi deſit Clericus; adeoque quoniam inter Clericum & Laicum nulla ſit differentia niſi tantum ex conſtituto, & ſiquando nihil prohibet Clericum aliquem legitime ordinatum ſacris præeſſe. Vis argumenti ſcilicet eſt in illis: *Omnes nos Deus ita voluit diſpoſitos, ut ubiq;*

*ſacra-*

*ſacramentis ejus obeundis apti ſimus.* Quum digamus itaque ſacerdos non ſit aptus obeundis ſacramentis, nec laicum digamum poſſe aptum eſſe: hunc autem debere eſſe aptum ad offerendum & tinguendum quovis tempore neceſſitatis: debere itaque à ſecundis nuptijs abſtinere laicum non minus atq; aliquem ex clero. *Digamus tinguis,* (inquit) *digamus* OFFERS? *quanto magis Laico digamo capitale eſt agere pro ſacerdote, quum ipſi ſacerdoti digamo facto auferatur agere ſacerdotem!* Senſus verborum Tertulliani adeo clarus eſt, ut Pamelium, quo eluderet adverſantem ſuis placitis Septimium, adegerit locum hunc omnem mala manu corrumpere. At Nicolaus Rigaltius vir longe doctiſſimus, diſerte confeſſus eſt eam eſſe mentem Tertulliani quam nos etiam profeſſi ſumus. Qua re licet bilem concitaverit Gabrielis Albaſpinæi Aurelianenſium Epiſcopi celeberrimi, qui *offerendi* voce negavit hoc loco intelligi debere τὸ εὐχαριστεῖν, idque ſcripto publico aſtruere conatus eſt contra Rigaltium, interpretationem ſuam alio itidem libello vindicantem: attamen & Hugonem Grotium V. C. excitavit ad conſcribendum opuſculum ἀνώνυμον, *de Cœnæ adminiſtratione ubi Paſtores non ſunt,* quo ille noſtram interpretationem præclare confirmat, oſtendens ſimul, illud jus Laicorum Euchariſtiam faciendi, exigente id uſu & ſi nulli adſint Paſtores, & paſſim & diu ſatis in Eccleſia fuiſſe agnitum. Oppoſuit ſeſe quidem & huic opuſculo contrariâ ſcriptione Diony-

ſius

ſius Petavius, ſed incaſſum: ut facile apparuerit utrumque libellum legentibus. Legere autem in promptu eſt, quum in vulgus ſint editi, non intra domeſticos parietes concluſi, perinde ut adverſaria ſcripta illa Rigaltij & Albaſpinæi. Certe adeo hic claret veritas, ut nihil motus receptis Eccleſiæ Romanæ placitis, adverſus Albaſpinæum & alios, pro noſtra illa interpretatione, operoſe diſputare Pariſiis nuper adeo non dubitaverit, in grandi opere Tertulliani Redivivi, ad librum illum de Exhortatione caſtitatis, Georgius Ambianas doctiſſimus & clariſſimus forte omnium quotquot hactenus fuerunt Capuccinorum. Nec vero interpretationem illam noſtram duntaxat defendit vir candidus; ſed etiam probat, fuiſſe id ævo Tertulliani paſſim in Eccleſia receptum, nec à quoquam improbatum, atque adeo nec hodie improbandum. Ad cujus proinde teſtimonium ego nunc malo provocare, quam uberius idem oſtendere, præſertim quum nulla me cogat neceſſitas hiſce immorari. (Quid? quod ipſe Canon Miſſæ Romanus ex antiquo more, in omnibus etiam alijs Liturgijs recepto, in plurali numero hodieque ſemper loquatur; dicatque ibi Presbyter non *Offero*, ſed *Offerimus*: Presbytero ſcil. verba faciente laicorum etiam adſtantium nomine, non ſui unius. Ineptum autem id fuerit, niſi & laici reapſe *Offerant*.)

Excommunicationum porro ſententias non niſi ex conſenſu & auctoritate totius Eccleſiæ, atque adeo & laicorum fidelium, eſſe olim latas aureâ omni tempeſtate, à multis jam eſt notatum: quorum ſcrinia compilare

F pilare

pilare nec fas nec necessum jam est. (Vsque sane id adeo est manifestum, ut ipsemet M. Ant. de Dominus, minime cæteroquin δημοτικός, id conatus fuerit docere l. v. cap. XII. n. 67. & 68. quanquam neget tales excommunicationes ad potestatem clavium pertinere. Serò demum ab hoc actu videntur laici exclusi; & forte post Seniores laicos qui regimini Ecclesiæ hactenus participaverant, initio Romæ facto, exactos. Et verò Hilarius Diaconus Romanus jam conqueritur ad cap. v. Epist. prioris ad Timotheum, Seniores in Ecclesia esse abrogatos. Sed de sola Romana Ecclesia videtur loqui.) Augustini adhuc ætate Seniores laicos disciplinæ publicæ præfuisse in Africa, palam est ex serm. 19. de verb. Domini. *Cum ob errorem aliquem à Senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit? cur res alienas pervaserit? cædem cur turbulentus admiserit? statim respondet, quid habeo facere homo secularis aut miles? numquid monachum sum professus aut clericum?* (Videatur & Augustini Epistola 137. ad Clerum Seniores & plebem Ecclesiæ Hipponensis.) In Actis Nundinarij diaconi adversus Sylvanum Cirtensium præsulem, totum judicium ab Episcopis nonnullis anno CCCXX legimus commissum Senioribus & Clero: quale quid videtur suadere ipse Gregorius I Papa l. 2. Ep. 19. Vt proinde jus clavium quoque à Laicis jure divino alienum non esse, etiam tum nemo in Ecclesia fortassis dubitaverit. (Pertinet quodammodo huc & illud, quod olim integræ Ecclesiæ de aliorum etiam exterorum factis judicaverint. Quod ipsum liquido apparet ex Epistola germana quam S. Clemens Romanæ Ecclesiæ nomine conscripsit ad Corinthios. Tum ex eo, quod in vita Eugenij I narrat Anastasius, illam quam Petrus Constantinopolitanus Papæ miserat Epistolam, à clero & populo rejectam esse. Vt immunera alia testimo-

nia

nia nunc taceam.) Coguntur vero idem hodieque fateri, nisi fallor, si sane thesin tueri velint, qui affirmant, *totam jurisdictionem Ecclesiasticam primariò proprie & essentialiter Ecclesiæ convenire, Romano autem Pontifici atq; aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantùm, sicut facultatem videndi oculo:* quæ tamen est Scholæ Parisiensis perpetua & constans doctrina, si credimus Edmondi Richerij Syndici collegij Theologici Parisiensis libro de Ecclesiastica & Politica potestate. Si inquam credimus: nec enim nobis latet, quantum illius libelli causſâ, & nostrâ & patrum ætate, Parisiis fuerit turbatum. Sed non est cur ijs nunc intendamus. (S. Augustini certe perpetuam fuisse doctrinam, Apostolo Petro datas claves, ut personæ repræsentanti totam Ecclesiam, atque adeo toti Ecclesiæ jus clavium competere, plurimis locis adductis probare facillimum fuerit.)

Et verò pro ratione quidem instituti sic satis clare in universum jam ostendimus: jure divino Laicis datam potestatem sacra interdum celebrandi, idque, in primitiva saltim Ecclesia fuisse agnitum: ut nihil addere necessum sit. Sed & jam ante id ostendimus eo argumento: quod Patres, primitivæ saltim Ecclesiæ, non soleant sectis segregibus odiose objicere, quod auctoribus laici generis incepissent.

Si autem hæc quæ ita pro jure laicorum disserui-mus sunt vera (ut sunt verissima) corruit profecto *MAIOR* illa propositio, negans usquam Ecclesiam aliquam posse reperiri, aut quod perinde est, sacramenta

Ecclesiastica usquam posse confici, absque legitime ordinatis presbyteris & Episcopis.

HÆC tum ibi disputavimus. Reliqua, de quibus itidem tum ostendimus, ex divino instituto perpetuo non esse, ut scil. omnes Presbyteri consecrentur à solis Episcopis, nolumus nunc repetere: quoniam prius illud evicisse, satis est ad propositum nostrum. Quoniam verò in nonnulla eorum quæ tum ita attulimus, priusquam publicarentur nescio quis Pontificius scriptis anin adversionibus cavillatus est, ijs autem illico respondimus, saltim isthæc addere hîc, non fuerit fortassis absque pretio operæ. Adversarij igitur quidem illius hæc fuerunt.

*Pag.* 25. *Primum lege quidem divina)* Testimonia Scripturæ quæstionem evidenter decidunt. Rom. 10. *Quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit &c. Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Hinc concludendo à primo ad ultimum, ostenditur: omnibus qui salvari velint audiendos præcones à Deo missos. Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Ita & Christus non semetipsum glorificavit, ut fieret Pontifex, sed qui locutus est ad eum, filius meus es Tu, ego hodie genui te.* Hanc missionem a Patre allegat Servator Apostolos missurus, tanquam Apostolicæ missionis fundamentum. Ioan. 17. *Sicut me Tu (Pater) misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.* Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Actor. 20. *Attendite vobis & cuncto gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos ad pascendum Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Hinc conquestus est Deus de ijs, qui etiamsi non missi

missi tamen prophetabant Ierem. 23. *Non mittebam Prophetas & ipsi currebant, non loquebar illis, & ipsi prophetabant.* Ad Titum ita scribit Paulus cap. 1. *hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut ea quæ sunt corrigas: & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ex Epistola ad Timotheum multa etiam in hanc rem possent adduci. Hinc fit mentio electionis Matthiæ Actor. 1. ad Apostolatum, & Stephani aliorumque Act. 6. ad Diaconatum ordinationis, quæ perficitur oratione & manuum impositione, Act. Paulus 1. Thimoth. 4. vers. 14. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Idem fere 2. Tim. 1. vers. 6. 1. Timoth. 5. vers. 22. *manus citò nemini imposueris.*

*Pag. 40. Eadem porro Tertulliani)* Reclamat ipsa scriptura. Reclamat antiquitas universa. Et adeò deficit in probatione Autor, ut ex tota antiquitate testimonium producere nullum possit, nisi ex libro hæretico Tertulliani ab universa primitiva Ecclesia damnato. Et tamen, si penitius inspiciatur adductus locus, ne id quidem dicit, quod dicere Autor cupit. Saltem conatur probare, etiam Laicos esse sacerdotes. Quæ verò primitivæ Ecclesiæ praxis hac in re etiam secundum Tertullianum ipsum fuerit, abundè patet ex libro de Præscript. cap. 41. *Alius (ait) hodie Episcopus cras alius, hodie Diaconus qui cras Lector, hodie Presbyter qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injunguntur*

(Qui quæso evidentius allegari contra Autorem potest?) *De verbi autem administratione, quid dicam? cum hoc negotium sit illis, non Ethnicos convertendi* (quod semper fecerunt Catholici) *sed nostros pervertendi.* En mi Autor, quam gratiam tibi refert studiosæ allegationis Tertullianus? Ne quidem ipse Apelles te cum tuo grege magis graphicè potuit depingere.

*Pag.41.Vt facile ap.*) Quicunq; animo haud præoccupato Petavium legerit, facile judicabit quid distent æra lupinis.

HÆC ille, quisquis tandem fuerit. Subjungemus nunc quæ à nobis ipsi statim sunt reposita.

*Pag.42. Testimonia scripturæ)* Non una sed theses multæ erant probandæ ex sacris literis. Animadversor tamen non nisi unicā tangit; nempe, Presbyteros & Episcopos exigi necessariò in Ecclesia. Condonabimus nunc illi hanc supinam negligentiam. Quam inepte vero sese gerit in probatione etiam unius illius theseos! Non petimus ut probet, Pastores Ecclesiis amplioribus omnibus esse necessarios: sed simpliciter, ad sacra sive docenda sive facienda, eos requiri, idque ex divino instituto. Atqui hujus quidem nihil asseritur in omnibus illis quæ adduxit divinis testimonijs. Nec patet, quei per legitimam consequentiam tale quidquam ex ijs possit elici. Certe cum nobis id non pateat, debuisset Animadversor consequentiam illam clare simplicitati nostræ ostendere.

Iam porro omnia isthæc loca agunt utique de munere

nere aliquo docendi, quod competat solis ijs qui à Deo in id sunt missi. Atqui solis Clericis fas esse docere doctrinam fidei Christianæ, ne quidem Pontificij affirmant; deberet autem solis illis id fas esse, si nomine eorum qui missi sunt ad docendum soli Presbyteri & Episcopi sint intelligendi, quod heic videtur velle Animadversor. Si sane hæc ejus sententia est, plane absurda profitetur, & aliena à mente non universæ tantum Ecclesiæ antiquæ, sed & suæ quæ hodie superest. Qua de re plura à nobis cum sint dicta jam pag. hujus libelli 46. & 49; non est quod illa heic repetantur. Si non fuit hæc sententia Animadversoris; qua fronte, amabo, imperitum lectorem illis nihil ad rem facientibus Apostolicis dictis audet turbare?

Duplex scil. est *missio*, alia proprie ita dicta, qua immediate à Deo missi olim sunt Prophetæ, Apostoli, ipse Christus, qua Aaron fuit constitutus Sacerdos: habetque unice locum siquando aliquid novi aut singulare incognitumque is qui mittit vult nunciari. Et hac significatione forte semper *missionis* illa vox in Sacris accipitur. Altera improprie dicta, cujus oculto instinctu quis docet aliquid quod novit expedire aut esse necessarium; etsi immediate, à Deo singulari mandato ad id non sit missus. Non tantùm verò priorem missionem sed & posteriorem ad prædicandam Evangelicam doctrinam valere, apud omnes in confesso est. Iam verò posterior illa, & jure divino & jure naturæ omnibus

perinde

perinde demandata est, si id res exigat: Presbyteris aut Episcopis singulatim quodammodo commissa est in magnis cœtibus divino jure. Vt scilicet alter alterum instruat, doceat, & pro virili juvet ad veram & salutarem sapientiam, hoc natura jussit; ut quisq; fratrem suum pro virili ducat ad æternam salutem per Evangelium, passim omnes monent Apostoli. Hactenus itaque Presbyteris aut Episcopis nihil præcipui est datum. Cæterum cum ordinarijs doctoribus magni cœtus carere nequeant, hinc jam porro Presbyteri & Episcopi ex divino instituto sunt Ecclesiis illis præfecti, prudentiæ humanæ electionis ordinationisque eorum ritibus relictis, quo omnia fiant πρὸς οἰκοδομὴν & ordine ac decenter. Id quod pro re nata fieri varijs modis potest, eòque ab Ecclesiis totius mundi diversa ratione semper est peractum. Hisce observatis palàm est, quam inania & vana sint omnia Animadversoris κενοσφύγετα.

*Pag.* 45. *Reclamat ipsa Scriptura*) Vbinam amabo *reclamat Scriptura*? h.e. ubinam docet illa, solis clericis fas esse λειτουργεῖν? Non jota quidem potest adferri ex universo Sacro codice: & tamen non dubitavit Animadversor ad Scripturam provocare. Ex adverso Tertullianus diserte agnoscit *l. de corona mil.* illam potestatem *OMNIBVS mandatam à Domino:* & ita ipse S. Apostolus Paulus Eucharistiæ sacra describit, ut haud obscure appareat, non soli clero potestatem offerendi datam, sed omnibus Christianis factam communem. (Et vero

notum

notum est in vulgus, quando Lex aliquid pronunciat citra omnem exceptioné, tum saltim permittit aliquid in communi. Iam verò S. Paulus Eucharistia quomodo sit celebranda universam sine discrimine Ecclesiam Corinthiorum docet. Diserte item omnes qui bibunt docentur *hoc facere* in commemorationem mortis Christi: bibunt autem utique omnes etiam laici. Atque adeo & Laicis saltim fas est *facere* illa omnia quæ Christus facere jussit: quibus tota liturgia continetur. Ne verbulo quidem sane indicaverunt vel Evangelistæ vel S. Paulus, de Eucharistia à solis Presbyteris celebranda.)

Quisnam porro ex *universa antiquitate* Ecclesiastica dixit, soli Presbyterorum ordini εὐχαριστίας munus lege divina semper competere? Iure positivo Ecclesiæ ad solos istos potestatem illam rediisse, siquando Presbyteri non absunt, haud diffiteor. Sed de positivis juribus hodie quæstio non est. In uno Tertulliano potuisse me testimonium aliquod prioris ævi invenire, falsum est. Longe plura inveniuntur alibi: ut vel ex Grotij libello apparet. Libuit uno hoc uti, quod unum hoc satis sit in præsentia rei huic probandæ. Librum illum *de Exhortatione castitatis* scripsit, fateor, Tertullianus jam Montanista: at quod nos adduximus, est non dogma, sed testimonium duntaxat ejus quod isthac ætate passim obtinebat in Ecclesia Catholica: nec hactenus intestabilis habitus unquam fuit Tertullianus. Ac proinde testimonium hoc in dubium nequaquam vocari debere, ipsemet ille doctissimus Capuccinorum Georgius Ambianas ultrò profitetur & defendit adversus alios. Si porro Tertullianus probare vo-

G luit,

luit, *etiam laicos esse sacerdotes;* quod fatetur Animadversor: quidni idem agnoverit licere Laicis & εὐχαριστεῖν, cum sit pars muneris sacerdotalis? Verba ex libro de *Præscript.* petita non adversantur meæ assertioni. Exagitant enim illos hæreticos, qui ordinaria clericorũ munera abolebant in suis quamvis magnis cœtib⁹, atq; ita & laicis illa injungebant. Atqui hoc rite fieri in istis cœtibus, nec ego nec quisquam Protestantium affirmaverit. Laico licere εὐχαριστεῖν, si præsens sit consessus sacerdotalis, Tertullianus nusquam asseruit: sed quid liceat tum quando is abest, atque adeo quam licentiam laicis jus divinum concesserit. Hæreticorum illorum veterum mores quid habent commune cum nostris? Non Apelles itaque nos depinxit, sed Animadversor inique calumniatur.

*Pag.*46. *Quicunq; animo*) Legit juxta mecum illo animo Petavium pariter & Albaspineum doctissimus ille Capuccinus, & quid verum falso distet observans in Grotij sententiam concessit. Non dubito idem facturos omnes quibus judicium præoccupatum non est.

HÆC omnia in libello isto, Dominis Walenburchijs saltim haud ignoto, ante hosce octo annos jam disputavimus. Ostendimus itaque jamdudum: saltim ad veritatem agnitam docendam non esse opus Vocatione aut Ordinatione Ecclesiastica ordinaria & propriè ita dicta, idque ipsum semper fuisse in Ecclesia creditum, nec hodiè non esse apud ipsos Pontificios receptum. Ostendimus itidem, si urgeat necessitas & salus hominum, tum verò teneri quemvis Christianum quan-

tumvis

tumvis laicum Presbyterorum officio fungi, non docendo tantùm, sed etiam baptizando, imò & in ipsa Eucharistica liturgia, & sacrarum Clavium exercitio. Ex quibus facile liquet, quid de reliquis Presbyteralis muneris partibus sit sentiendum.

Hisce vero positis manifestum utique est, tametsi meri laici fuissent omnes primi Ecclesiæ Reformatores, & nulla vocatione ordinariâ ad sacra isthæc acciti, non tamen peccasse. Imo verò laudem eos mereri posse, quod rem tantam intrepido sint animo aggressi: solùm freti communi illa omnium Christianorum vocatione, quâ omnibus commissum est, si res postulet, & docere & sacra reliqua omnia administrare in Ecclesiæ commodum.

Cæterùm bonam partem illorum præstantium virorum fuisse jam Presbyteralibus muneribus initiatos, quo tempore corruptissimæ Ecclesiæ redintegrationem instituerunt, certum est. Quoniam verò & de eo jam tum in Defensione nostra quædam diximus, haud fuerit abs re etiam illa hîc subjungere. Fuêre autem tum verba nostra hæc quæ sequuntur.

. Laborat vero & *MINOR* propositi syllogismi. Vt enim haud negaverim, initio Reformationis nonnullos etiam laici ordinis, propterea quod alicubi nemo ex clero officium faceret, sed omnes pro virili potius renascenti veritatis luci reniterentur, Frumentij laici vetus exemplum imitatos, qui ut Theodoreti verbis utar, Indos sive Æthiopes docuit, *κατὰ τὸ Ρ'ωμάιον ἔθος συναγέιρεσθαί τε καὶ τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας*: plærique tamen eorum qui sacram istam Ecclesiæ Reformationem primi instituêre jam ante erant ab ipsa

Ecclesia Romana ordinati Presbyteri, alij & Episcopi. Qui cum iterum alios rite ordinaverint, jam etiam ad nos decurrat utique series quædam continua ab Apostolis usque rite ordinatorum Presbyterorum. Non desunt porro inter Protestantes Episcopi quos Superintendentes nuncupamus, & quidem ad vitam more prisco: alibi tales quidem non reperiuntur; nusquam tamen desunt (ubi quidem aliqua grandior est Ecclesia aut Ecclesiarum consociatio) qui Episcopali sive Directorio munere fungantur, licet temporali & mutabili.

Dixeris ordinatos à Romanensibus antiquiores nostros illos, ut observarent receptam Romanæ Ecclesiæ doctrinam, atque ita factos perjuros. Verum enimvero ordinati simul fuerunt in id, ut se gererent ad præscriptum Christi & Apostolorum, non vero, ut tantùm se componerent ad mores & leges Romanæ Ecclesiæ: quod ex formulis publicis passim est notum. Quemadmodum igitur in omni sacramento quod duo sibi mutuo adversantia exigit, quorum alterum à recto non abit alterum iniquum est, nemo re jam probe intellecta tenetur quidquam aliud quam prius illud observare, hoc vero omittere debet vi etiā sacramenti adactus. Sic nunquam satis laudati illi Presbyteri ex præscripto ordinationis suæ coacti fuere agnitam salutaris fidei regulam sequi, & reliquum illud posthabere imo damnare. Nec vero perjurus est, qui sacramentum violat fidei

dei & bonis moribus adversum, ubi rectiora edoctus est: sed impius qui non violat.

HACTENUS repetita est illa quæ huc facit doctrina, ex Defensione nostra Ecclesiæ Protestantium. Eodem autem fere tempore de hoc ipso argumento nonnulla disputavimus etiam adversus Jesuitam Erbermannum in Examine libelli à Jesuita isthoc Concussioni nostræ oppositi. Adducemus igitur etiam inde nonnulla in medium; idque ideo maxime, quoniam objectiones Jesuiticæ reapse cum Walenburchianis sunt eædem. Verba igitur nostra ibi quidem pag. 44. & 45. hæc fuerunt.

TRansis ad novum genus quæstionum. Summa omnium est. Pastores Ecclesiarum nostrarum habent spiritualem potestatem ex jure divino juxta nostram sententiam, & tamen de ijs nec gry reperitur in sacra scriptura: adeoque potest aliquis habere spiritualem potestatem ex jure divino, de quo nihil tamen reperitur in sacris literis, & per consequens à me perperam postulatum est, ut ex sacris literis demonstretur Pontificum Romanorum Vicaria divina potestas. Hæc inquam summa est omnium turbulentarum quæstionum: quam tu ipsemet æque perspicue & breviter debuisses proponere, si aut potuisses aut voluisses te probum disputatorem ac virum bonum heic præstare.

Nos paucis ad rem ipsam. *Primum* igitur observo, non abs te allatam esse veram & demonstrativam instantiam, sed duntaxat argumentum aliquod ad hominem quod appellant. Quæ inter multum est discriminis: utpote

quum proba instantia reapse evertat propositionem adversam, altera autem illa argumentatio tantùm ostendat, adversarium non esse locutum satis convenienter suis alijs thesibus, quæ tamen itidem possunt esse falsæ. Te videlicet judice, Pastores nostri carent spirituali omni auctoritate: ideoque id quidem forte viceris: me, si velim Pastoribus nostris tribuere spiritualem vim ex jure divino manantem, non debuisse exigere à Papis Romanis testimonium sacrarum literarum: non tamen evicisti, simpliciter id perperam postulari. Tantùm abest, hac tua collectione vim argumentorum meorum in Concussione adhibitorum esse ulla ex parte fractam. *Secundo* duplex est ratio spiritualis potestatis: alia enim sine discrimine communis est omnibus: alia non nisi certis hominibus propria. Cum utraque non nisi à Deo sit, & quidem supra naturæ ordinem instituta, necessum sane est utramque à Deo perspicuis verbis in Sacris literis mandatam esse: idque ipsum à nobis demonstratum est. Iam verò potestas illa spiritualis qua Pastores nostri gaudent, illa partim omnibus Christianis, partim omnibus Presbyteris est communis: qua de re nuper latius disserui in *Defensione Fidei Protestantium adversum duo sectæ vestræ argumenta à successione petita*. At Vicariatus Papalis plane est proprium quid solis Pontificibus, & quidem ne illis quidem promiscue omnibus, sed solis legitimis. Quidnam possint autem & debeant agere, sive omnes Christiani sive Presbyteri,
hoc

hoc ipſum diſertis verbis & perſpicue mandatum eſt in ſacris monumentis. Falſiſſimum igitur eſt, quod tũ auſus es dicere, de Paſtorum poteſtate ſpirituali ne gry quidem reperiri in ſacra ſcriptura: ac proinde falſæ illæ omnes ſunt quas tu inde conatus es conſequentias deducere. Vt de ſingulis Paſtoribus ſeorſim aliquid conſtitutum ſit in ſacris literis, non eſt neceſſum: quippe quum nec ad ſingulos dignoſcendos revelatione ſit divina opus, nec ſi quod latens vitium ſubſit Ordinationi ſacram talem poteſtatem impediat. Secus quam ſeſe habet res ſingulorum Pontificum: qui nempe niſi ſint legitime conſtituti non ſunt capaces Vicariæ illius divinæ poteſtatis, ex veſtra ſententia. Qua de re infra iterum ad Interrogationem decimam erit diſſerendum. Quod ſi tamen de Vicariatu divino Paparum in genere aliquid adeo diſerte dictum reperiatur, atq; de officio & poteſtate Presbyterorum, ſalva quodammodo res foret. Et verò ſaltim tale aliquod documentum divinum unice deſideramus. Quod te non potuiſſe adferre, mox patebit.

AD hunc modum reſpondi tum Erbermanno, cum reapſe idem ageret quod prima ſui libri parte jam agunt Domini Walenburchij. Noſtros ſcil. miniſtros Eccleſiæ non eſſe legitimos miniſtros, quoniam Extraordinaria divina vocatione deſtituuntur. Quanquam Erbermannus potiſſimum voluerit hac argumentatione oſtendere falſitatem unius præmiſſarum, qua tamen ego ſum uſus adverſus Papam

& Epi-

& Episcopos Romanenses; adeoque isthæc argumentatio fuerit ipsi vice instantiæ alicujus.

Cæterum Erbermannus hisce in suo quod appellavit Examine Examinis reponens nonnulla: Interrogatione quidem XI conatur ostendere, suam hanc argumentationem nullo Instantiæ vitio laborare. Ubi tamen iterum impingit, non distinguens, inter Deductionem ad vere impossibile, & Deductionem ad incommodum. Quarum illa est species Demonstrationis, probans indirecte ex conclusione reapse falsâ, reapse falsam esse præmissarum alterutram; hæc Dialectica quædam adversarij redargutio est, probans ex conclusione quæ adversario falsa videtur, falsam esse aliquam præmissarum, quam adversarius pro vera thesi fortè venditaverat: qualis deductio toto cœlo differt à Demonstratione. Quod ipsum advertens ego objeceram Erbermanno: etiamsi forte fuisset usus proba deductione ad incommodum, non tamen eo ipso demonstrasse vere falsam esse præmissarum aliquam: id quod tamen demonstrare & voluit & debuit.

Interrogatione IIX. §. 2. respondens ad Secundum meum, gloriosus Pyrgopolinices spirat quidem vehementer, aptus scilicet etiam legionibus difflandis, at revera inanes bombos crepat. *Niti* videlicet *totum illud* meum *dudum explosis & excussis erroribus*, qualis sit *præcipue decumanus ille: Quod omnes Christiani habeant jure divino potestatem spiritualem Eucharistiam faciendi & jus clavium: Quem errorem recitasse sit refutasse*: confutatum illum esse ab Henrico Hammando Anglo & Dionysio Petavio. Ita ille. Ubi advertendum initiò venit, non ausum Erbermannum diserte erroris postulare id quod ego etiam dixeram: Solis Presbyteris non esse divino jure commissum res sacras docendi munus, sed hoc etiam Laicis concessum imò commissum esse. Quo patet, agnovisse Erbermannum, ad docendum non esse semper

per opus Vocatione sive Ordinaria Ecclesiastica sive Extraordinaria divina. Id quod cumprimis valet adversus Walenburchianam primam omnem disputationem. Ridicula porrò est jactantia illa superbi Socij: quasi sola recitatio sufficiat convellendis meis. Sed & si Hammondus, si Petavius, illa mea confutaverant, utique potuisset ex illorum libris petere saltim illud divinum præceptum, quo soli Clerici jussi sunt λειτȣργεῖν aut solvere peccata. Verum ventosus Thraso cum tale nihil haberet, credidit sufficere in disputationis arenâ flatu pulverem excitasse. Æquè certe altum hic spirat Socius, atque olim in Concilio Tridentino Franciscus Turrianus & Alphonsus Salmeron, persuadere Patribus conati, illud *Hoc facite* ad solos Apostolos pertinere, qui ijs verbis sint sacerdotes creati. De quibus ineptijs legere operæ fuerit pretium ipsummet Pallavicinum Historiæ Concilij illius l. 14. cap. 2. & hujus eximium censorem Cæsarem Aquilinum libelli nupertime editi pag. 34. & seqq. Alia hisce meis reposuere quidem Walenburchij, sed demum Parte Tertia, cum agendum id ipso fuisset statim initio. Examinabimus autem illa suo isthoc loco.

SUBJUNGEMUS nunc deniq; & illa quæ in Præfatione ad Cassandrum attulimus in id, ut ostenderemus, Nostris Reformatoribus non fuisse opus, nec hodie nostrorum cuiquam opus esse Extraordinaria divina, propriè quidem sic dicta, vocatione. Sunt autem illa hæc.

FAtemur ultro & nos, neminem quidquam ejus ad quod divina revelatio aut extraordinaria divina opera requiritur posse præstare, nisi extra ordinem divinitus fuerit instructus, ac proinde nec tale quid posse aggredi, nisi à Deo in id fuerit quasi ordinatus: huic

vero credi non posse nec deberi, nisi divino testimonio, quale est divinum aliquod miraculum, fides ipsi facta fuerit. Hoc sane naturâ est notum; semper etiam à Deo ipsomet observatum. Neutiquam verò tali divina instructione aut divina attestatione opus est, ad obeundum munus, quod communem nostrarum virium ordinem haud egreditur. Aggressi autem Reformatores sunt rem non prioris sed posterioris generis; emendationem scilicet Ecclesiæ secundùm normam, non noviter sibi revelatam, sed jam olim traditam sacris literis, observantiâ duntaxat earum & genuina interpretatione reductâ in usum. Literarum autem sacrarum rectum sensum assequi licet utique, observatis duntaxat æternis bonæ interpretationis legibus, sine omni revelationis divinæ aut extraordinariæ divinæ dotis adminiculo. Igitur nec mitti Reformatores divinitus debuerunt, nec divinis miraculis muniri, ceu Prophetis & Apostolis quondam contigit. Ex adverso talem missionem ejusque tale divinum testimonium, jure in singulis Romanis Pontificibus, imo omnibus Episcopis & Presbyteris Romanensibus, nos desideramus: quoniam omnes, præcipue Romani Papæ, venditant à Deo sese constitutos ad præstanda ea, quæ omnibus alijs negatum, sibi vero solis efficere divinitus sit concessum: & quandoquidem omni divino documento sui divini muneris destituuntur, merito illa eorum jactata munera ceu impie ementita

tita deteſtamur. Quod nemini porrò docere religioſa liceat, niſi in id ab Epiſcopis fuerit ordinatus, non profecto ulla eſt divina lege inſtitutum. Imo vero nec poſitiva aliqua Eccleſiæ lex eſt id quæ ſimpliciter improbet, ne tum quidem cum omnia in Eccleſia rite geruntur. Sane exigente uſu & ſalute æterna hominum, cuilibet quamvis laico fas eſſe viam ſalutis alios docere, forte vacat controverſia. Imo vero, *nonne & laici ſacerdotes ſumus?* (verba ſunt Tertulliani) *Scriptum eſt, regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem* (clericum ſcilicet) *& plebem conſtituit Eccleſia, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, & ſacerdos es Tibi* laico *ſolus.* Quam rem alibi latius exſecuti ſumus. Quid, quod non fas duntaxat ſit etiam laico, docere illa ſalutifera & celebrare, poſtulante neceſſitate, ſed etiam id tunc agere ille ſi poſſit planè teneatur? Æterna ſcilicet atque nobiſcum nata lex jubet, ut ſine diſcrimine, ſi res poſcat, alter alterum recta doceat, inſtruat, atque ad beatam vitam quaſi manuducat. Hanc humanæ ſocietati communem legem, Chriſtus & Apoſtoli, ſæpius repetitam, fidelibus ſevere acriterque inculcaverunt. Quid melius verò, quid ſalutarius, quid magis neceſſarium, quam Eccleſiam, ſi moribus & doctrina ſit corrupta, corrigere atque ad priſtinam integritatem reducere? Id ſi facere neglexerint Epiſcopi & ex

 clero

clerò reliqui, quorum in officio hoc maxime erat, num propterea nemini alij fas sit rem adeo necessariam aggredi? Num propterea quia illi officium non faciunt, laicus non tenear facere, à Christo & ipsamet natura mihi imperata? At vero quasi in veternum (proh dolor!) data erat maxima cleri pars, voluptatibus, ambitioni aut turpi quæstui unice dedita: de laborante & fœde inquinata Ecclesia restituenda cogitabat vix quisquam. Igitur non duntaxat licuit, quamvis laicis, cum rectiora edocti essent, reformandæ Ecclesiæ admovere manum, sed omnino hoc illi agere à Deo & natura sunt jussi, gravissime peccaturi si & ipsi id omisissent. Si Reformationis auctorum nonnulli minus docti τὰ πλεῖστα, si turpi lucro dediti, si ambitiosi, si moribus non integris (quod tamen quanti fuerit, à nudis hostium voculis certò peti non posse, æquus quilibet judicaverit) non derogat hoc quidquam ipsiusmet doctrinæ certitudini. Tum demum scilicet fidem doctrinæ adimere esset aptum, si illa docentium auctoritati inniteretur. Quicquid ejus forte contigit, dolemus meritò: ut simul tamen miremur divinam providentiam, quæ ita nos docere & assuefacere voluit, uni sibi magistro fidere, ex hominum vero quamvis magnorum existimatione non petere salutaris scientiæ firmitatem. Id quod cum ipsi illi nostri magistri sint ultrò professi, in unicam veritatis normam sacris literis sedulo candideque propositis, multo minus ab il-

ab illorum vitijs, si quæ fuerunt, periculi doctrinæ ipsi metuendum fuit. Et vero si docentium nonnullorum vitia doctrinam quoque reddunt incertam, utique universæ Chrstianæ doctrinæ fidem certam par est ut denegemus. Nonne enim in ipso sanctissimo duodenario Apostolorum cœtu Ischariotes Iudas docuit Evangelium, turpis lucri cupidissimus fur, & Domini proditor? Nonne de ambitione & avaritia Evangelij doctorum multæ sunt Apostolorum, Pauli cumprimis & Ioannis, querelæ? Qua fronte vero adversarij hinc doctrinæ ipsi maculam inurunt, qui conscij turpitudinis ipsorummet Paparum suorum, studiose adeo urgent, vitia magistrorum doctrinæ veritati nihil officere. Et tamen cum certitudo doctrinæ Papisticæ nitatur quàm maxime auctoritate Pontificum, horum scelera non possunt merito non illius vim multum minuere. Cum desint scilicet χαρίσματα illa & miracula divina, quibus Apostolica doctrina, quamvis à non optimis doctoribus interdum proponeretur, olim muniebatur, & in sacris literis altum de Papisticis illis placitis sit silentium: ad quas nostratium, quibuscunque etiam illi fuerint moribus, omnia & possunt & debent explorari.

QVÆ modò produximus ex Præfatione ad Cassandrum repetita, illa sibi fuisse lecta, non dissimulaverunt Walenburchij; ceu jam tum diximus. Nec vero dubitaverunt partem eorum bonam inserere suæ Sectionis secundæ septimo capiti. Nihil tamen quod ad rem istam faciat regesserunt,

ſed tantum aliquid de Schiſmate: quod facere *citra novam revelationem divinam, aut poteſtatem extraordinariam divinitus acceptam non licere*, ajunt rem *tam claram eſſe, ut exiſtiment vix Chriſtianum inveniendum*, id qui non aſſerat. At verò hoc utique non eſt refutaſſe ſermonem, à me munitum multis argumentis. Sed & infra oſtendemus, neminem forte repertum ante nuperos aliquot Sophiſtas Papiſticos, & horum imitatores Walenburchios, qui ad Schiſmatis inſtitutionem, poteſtate divina extraordinaria & revelatione nova cœleſti opus eſſe, contenderint.

Quandoquidem vero adeo multis & toties adeo acceperint Walenburchij, ſaltim conatum me eſſe demonſtrare, quod ad Reformationem nec Ordinaria Eccleſiaſtica nec Extraordinaria divina proprie ſic dicta vocatio fuerit neceſſaria, annon quis miretur meritò, illos nihilominus eſſe auſos, ijs omnibus haud confutatis, Toti parti primæ ſui adverſus me publicati libri, ſubſternere tanquam certam & extra controverſiam collocatam hypotheſin, quod ad Reformationem neceſſaria fuerit Extraordinaria divina vocatio proprie ſic dicta? An non quilibet merito dixerit, illos inepte diſputationem ſuam inſtituiſſe? litigantes ſcilicet operoſe de re, inter me ſaltim & ipſos, non controverſâ?

Cæterum quo ſumma omnium quæ hac Appendice attulimus, perſpicuè conſtet omnibus, unico Syllogiſmo univerſa comprehendemus. Is autem talis eſto.

*Ad quodcunq; opus efficiendum nullus actus requiritur quem non poſſit, vel exigente neceſſitate non debeat, agere laicus Chriſtianus, ad illud non eſt neceſſaria vocatio proprie dicta vel Ordinaria Eccleſiaſtica vel Extraordinaria divina.*

*Sed ad opus Reformationis nullus actus requiritur, quem non poſſit, vel neceſſitate exigente non debeat, Laicus etiam Chriſtianus agere.*

*Ergo*

*Ergo ad opus Reformationis efficiendum, non est necessaria vocatio proprie dicta vel Ordinaria Ecclesiastica, vel Extraordinaria divina.*

Ex consequenti, ad Reformationem non opus fuit tali aliqua Vocatione Reformatoribus; eòque improbe ab ijs exigunt hodie Papistæ alterutram.

Claudemus hanc disputationem omnem, saltim una historiola, quam fusius Victor l.2. Historiæ persecutionis Vandalicæ, breviter narrat ipsum Martyrologium Romanum ad diem XVI. Octobris. Martyrologij verba hæc sunt: *In Africa sanctorum martyrum Martiniani & Saturiani. Qui tempore VVandalicæ persecutionis, sub Geiserico rege Ariano, cum essent servi cujusdam VVandali, à sancta Maxima virgine, eorum conserva, ad Christi fidem conversi, pro constantia Fidei catholicæ primum nodosis fustibus cæsi sunt, & usq; ad ossa laniati. Sed cum multo tempore talia paterentur, & sequenti die nihilominus semper incolumes redderentur exilio tandem relegantur. Vbi cum multos Barbarorum ad fidem Christi convertissent, & à Romano Pontifice presbyterum aliosq; ministros qui eos baptizarent, obtinuissent, novissime vinctis pedibus post terga currentium quadrigarum inter spinosa loca sylvarum, jussi sunt pariter interire.* Etiam hinc videlicet est discere; à laica virgine conservos laicos, & ab his Barbaros multos salutarem fidei doctrinam accepisse, nullâ tamen præcedente sive ordinaria Ecclesiæ, sive Dei extraordinaria, vocatione: opus tamen Deo miraculis comprobante, & æterno monumento ipsamet Ecclesia Romanâ.

Hisce ita adductis in medium, possumus jam inoffenso pede pergere in Walenburchianis Animadversionibus.

CAPUT

# CAPUT II.

## Axiomata indubitatæ apud omnes homines fidei, atque adeo naturaliter nota.

I.

*QUicquid Deus mandat vel vetat, illud sine exceptione observandum est.*

Hoc usque adeò est natura notum, ut ab atheis quoque admittatur, cum ea conditione, quod si sit Deus.

II.

*OMnis lex ita perspicuè proponi debet, ut ab iis quos obligat facile possit intelligi.*

Naturâ hoc quoque notum est, adeoque ab omnibus, qui agunt de probæ legis dotibus, inter ejus requisita necessaria numeretur *perspicuitas*. Hinc in decretum dist. 4. recipit Gratianus hæc verba Isidori: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis,* manifesta *quoque; ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat.* Extr. 3. de prob. cap. 2. idem de qualibet scriptura asseritur: *si obscurè loquatur haberi pro non locuta.* Imperator Cod. de ll. *leges quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.*

III.

*QUicquid non est perspicuè propositum, illud vim legis non habet.*

Hypothesis hæc sequitur ex priore, adeoque & ipsa nulla indiget probatione.

IV.

*QUæcunque dependent ab arbitrio alicujus hominis, illa certò sciri nequeunt, nisi is, in cujus sunt arbitrio, mentem suam declaraverit.*

V.

*MUltò minus sciri possunt, quæ meri sunt arbitrii divini, nisi tantùm ex divina revelatione.*

Propositiones hæ duæ ab omnibus admittuntur: ac nituntur ipsâ essentia liberi arbitrij. Pertinet huc illud S. Pauli 1. Cor. 5. vers. 11. *Quis hominum scit ea quæ sunt hominis: nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognoscit nisi Spiritus Dei.*

VI. *Quæ-*

VI.

*Quæcunque adeò sunt μυστικώδη, ut nulli hominum in mentem venerint, & ne ab Angelis quidem vel ab Archangelis sciri potuerint, illa ratiocinatione revelationi Divinæ non innixa nequeunt intelligi.*

Ne verbulo quidem opus est ad hujus probationem, etiamsi res fuerit cum homine Pagano.

VII.

*Cuicunque Summa aliqua potestas, sive Rex aliquis aut Princeps, vices suas in curando quodam negotio concedit, siquidem hic debeat fungi rectè officio suo, illum simul instruat necesse est illis indiciis, unde alii quibuscum agendum aliquid venit, facilè possint scire voluntatem istam summæ potestatis.*

De hac propositione nemo mortalium dubitat: ac proinde in omnibus omnino negotijs humanis delegatus solet instrui à delegante sufficientibus testimonijs: & si instructus non sit, solet & debet rejici.

VIII.

*Cui summa potestas concredit magnum aliquem magistratum, ita ut velit illi à populo obedientiam præstari, & quidem sub gravis pœnæ periculo, hunc præcipue necessum est instruat clarissimis hujus suæ voluntatis testimoniis.*

Nemini non in vita humana hoc cognitum est: ideoque etiam ab omnibus prudentibus observatur. Sequitur autem, cum ex ipsa natura legis, de qua diximus hypothesi secunda & tertia, tum ex ijs quæ modo hypothesi septima in universum affirmata sunt.

IX.

*Si fieri possit, ut quis mentita persona ferat se Legatum aut Vicarium Summæ potestatis, necessum est, ut Summa potestas sigillatim & nominatim designet, quem velit fungi vicario munere.*

Etiam hoc omnibus notum: adeoque & more receptum probatumque est in omni humana societate, apud prudentes quosque.

X.

*Cum testimoniorum quæ olim lata, alia ore tantum sint à testibus tradita, alia scripto ab ipsis testibus comprehensa, posteriora prioribus ratione certitudinis plurimum prævalent.*

Itidem hoc omnibus solet concedi. Omnibus etiam evidentissimum

tissimum est illud Livij: *Litteræ sunt una fidelis custodia memoriæ rerum gestarum.*

XI.

*QVo negotium aliquod est majoris momenti, eo Delegatus aut Vicarius Principis oportet magis certis & firmis documentis sit munitus: adeoq; si Princeps ipsemet testimonium Proprincipi aut Legato suo dandum, non possit ore omnibus quorum interest significare, oportet idipsum faciat saltem libellis scriptis.*

Hoc quoque observatur hodie ab omnibus prudentibus, tanquam pro regula: utpotè cum itidem natura sit notum. Hinc ipsemet Papa Bonifacius VIII. *in junct. Extr. com. de Elect. Quam periculosum existat, quod aliquis in officio dignitate vel gradu fore se asserat, & pro tali etiam habeatur, nisi prius ipse quod asserit, legitimis ostenderit documentis, tàm ex civilibus quam ex Canonicis institutis colligitur evidenter. Asserenti namque cum mandatis Principis se venisse, credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit. Nec similiter creditur, se asserenti Legatum. Nunquam enim Apostolicæ Sedi moris fuit absque signatis apicibus undecunque Legationem suscipere. Sed nec dicenti se Delegatum Sedis ejusdem creditur, vel intenditur, nisi de mandato Apostolico fide doceat oculatâ. Similiter Clerici ad alienam Diœcesin sine sacrorum Ordinum literis venientes, nec in suis recipiantur Ordinibus, nec ad Superiores ascendant. Clerici quoque vel Monachi, qui de suis Civitatibus ad alienam Vrbem proficiscuntur, nisi muniti veniant suorum literis Prælatorum, non sunt Clerici vel Monachi reputandi.*

*ANIMADVERSIO.*

Hæc Axiomata ut reapse sunt naturaliter nota, ita à me ita & congesta & digesta esse fateor. Verùm frustra à Walenburchiis sunt hîc recitata, quum nihil faciant adversus causam Reformantium. Lectorem tamen quemvis rogo, velit hæc accurate & expendere & animo infigere, quoniam maximi sunt ad veritatis agnitionem & momenti & commodi.

# CAPUT III.

## Hypotheses inter omnes Christianos concessæ.

I.

*Præter libros veteris & Novi Testamenti nihil reperitur quod Spiritu S. moderante sit scriptum.*

II.

*APostoli prædicaverunt Evangelium, Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia. Vt diserte dicitur Marc. 16. vers. 20.*

III.

*Quisquis doctrinæ Apostolicæ adversum aliquid docet, is non est à Deo constitutus infallibilis fidei Christianæ arbiter.*

IV.

*SAlus æterna hominibus obtingit non nisi ex liberrimo beneplacito Divino.*

V.

*EVangelium, sive doctrina de ratione salvandi hominis, est revelatio mysterii per æterna tempora silentio involuti.* Rom. 16. 26. *Mysterii absconditi ab omni ævo.* Col. 1. 26. *Mysterii absconditi in Deo à sæculis.* Ephes. 3. 6. *Sapientiæ Dei in mysterio absconditæ.* 1. Cor. 2. 5. *Sapientia quæ per Ecclesiam deniq; nota facta est ipsis Principibus ac Potestatibus Cœlestibus: hoc est, Archangelis & Angelis* Ephes. 3. 10. *Eorum in quæ Angeli desideraverunt παρακύψαι.* 1. Pet. 1. 12. *Atque adeo eorum, quæ sola ratiocinatione humana, non innixa divinæ revelationi, nequaquam possunt intelligi vel sciri.*

VI.

*INterdum Falsi Pontifices, & falsi Episcopi occupant Pontificum & Episcoporum sedes.*

Hisce ita constitutis, atque extra omnem controversiam apud Protestantes collocatis, (sunt enim ipsius Conringij propria verba, in quibus quid desiderem postea explicabo,) venio ad Conclusiones dictis axiomatibus & hypothesibus connexas. 1

### ANIMADVERSIO I.

Has Hypotheses quod Domini Walenburchij dicant, *extra controversiam apud Protestantes collocatas esse*, addita ratione:

tione: *sunt enim ipsius Conringij propria verba*: ineptum est. Nec enim propterea quoniam ego aliquid assero, statim illud apud Protestantes vacat dubitatione.

Quoniam porro ipsimet profitentur habere sese quod in ijs *desiderent*, utique liquet, quæ ex ijs consiunt deductiones ex ipsorum sententia non nisi Dialectica ad hominem argumenta esse non autem Demonstrationes: concessis scilicet nitere quidem hypothesibus, sed non reapse veris, id quod demonstrationi est proprium.

## CAPUT IV.

1 Subvertitur extraordinaria vocatio Lutheri, Calvini, & aliorum Prætensorum Reformatorum.

### I. Conclusio.

*AN Ecclesia Christiana debeat agnoscere Lutherum, Calvinum, aut*
2 *alium quemcunque prætensum Reformatorem, tanquam extra ordinem vocatum ad reparandas Ecclesiæ ruinas, hoc unius est Dei constituere.*

Salus nimirum æterna, & quæ ad illam faciunt obtinendam, arbitrij sive beneplaciti sunt Divini, ut palam est ex hypothesi quarta. Restituere autem Ecclesiæ collapsæ ruinas per vocatos extra ordinem à Deo, judicarunt Protestantes necessarium saluti hominum. Dei proinde solius fuit, illos extra ordinem vocare, qui tantum opus perficerent.

### 2. Conclusio.

*NUm Deus Lutherum vel Calvinum extra ordinem vocaverit ad re-*
3 *staurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, non potest certo colligi ratiocinatione humana revelationi divinæ non innixa.*

Probatur hocipsum *primum* hoc modo. Quæcunque sunt liberrimi arbitrij, non possunt sciri, nisi mentem suam voluntatemque patefecerit is, in cujus sunt arbitrio: quævè adeo divini sunt arbitratus, multò minus queunt sciri, nisi Deo revelante: ut est in axiomate quarto & quinto. At vero num Deus Lutherum, vel Calvinum extra ordinem vocaverit ad restituendas Ecclesiæ collapsæ ruinas, liberrimi est divini arbitratus, ceu modo probatum est ex quarta hypothesi.

*Secundo.* Quicquid mysticum est usque adeo, ut nec Angeli vel Archangeli id potuerint assequi sua ratiocinatione, revelationi divinæ haud innixa; nec homines id intelligunt; ut est in axiomate sexto.

At totum illud de medijs salvandi hominem est tale, ut habetur hypothesi quinta. Ergo totum illud de medijs salvandi hominem, ratiocinatione sua revelationi divinæ haud innixa homines non intelligunt.

Si totum vero illud ita sese habet, necessariò non aliter sese habet & hoc: num Deus Lutherum vel Calvinum extra ordinem vocaverit ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas: præsertim cum Protestantes hoc statuant tanquam fundamentum subsequutæ prætensæ Reformationis.

3. Conclusio.

*SI Deus voluit, & quidem sub periculo æternæ condemnationis, ut omnes Christiani agnoscant Lutherum vel Calvinum tanquam extra ordinem vocatum, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas: factum illud est indiciis divinæ illius voluntatis adeo perspicuis, ut omnes homines voluntatem haud difficulter queant percipere.* 4

Nititur hæc conclusio axiomate secundo, sequela satis facili in hunc modum. Omnis proba lex ita perspicuè proposita est, ut ab ijs, quos obligat, facile possit intelligi, quæ fuerit mens legislatoris. Si lege itaque divina obligantur omnes Christiani agnoscere Lutherum vel Calvinum, tanquam extra ordinem vocatum ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, necesse est legem illam propositam esse adeò perspicuam, ut hæc voluntas summi legislatoris queat haud difficulter intelligi.

Nititur eadem Conclusio axiomate quoque septimo & octavo, facili itidem sequela. Si ad id, ut negotia per vicarios expediantur, requiritur, ut summa quæque potestas vicarijs illis suis & legatis fidem indubitatis testimonijs faciat; multo magis id requiritur, quando Lutherus & Calvinus asseritur à Deo extra ordinem vocatus ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, quippè quod summi creditur momenti, & connexam habet divisionem Ecclesiæ, (quemadmodum ex ejus facto constitit,) à cujus communione, juxta Scripturas divinas, sub æternæ condemnationis, pœnæ omnium gravissimæ, periculo non est recedendum.

4. Conclusio.

5 *SI Deus voluit, ut omnes Christiani obediant Luthero vel Calvino in negotio prætensæ Reformationis, vel hunc vel illum, cui voluit nos obedire, munivit ad fidem inveniendam sufficientibus indubitatis testimonijs.*

Patet hoc observatis axiomate nono, & hypothesi ultima. Sæpenumerò nimirum pseudo-Doctores, pseudo-Pastores, pseudo-Prophetæ jactantur extra ordinem à Deo excitati, quibus tamen Deus nunquam locutus est. Necessum verò est, ut omnis extra ordinem vocatus Reformator, divina præditus sit potestate. Contingit autem ut qui se gerit pro tali, non sit verè talis. Contingit ergò ut qui se gerit pro Reformatore divinitus excitato, neutiquam sit à Deo excitatus. Iam qui à Deo excitatus non est, utique illum Deus non jussit nos sequi. Superest igitur, ut illi Reformatores, quos tenemur sequi, præ alijs sigillatim hominibus nobis sint indicati. Vt exempli gratia, Luthero vel Calvino nominatim sigillatimque extraordinariam vocationem contigisse.

5. Conclusio.

6 *SI Deus nec Luthero nec Calvino contulit singulare aliquod indubitatum testimonium, unde homines certò scire possint, velle Deum ut hujus non verò illius potestatem reformandi habeamus legitimam, non voluit quenquam illorum haberi pro Reformatore extra ordinem Divinitus excitato sub periculo æternæ condemnationis.*

Colligere hoc licet ex parte quidem ex axiomate tertio: *quicquid perspicue mandatum non est, illud lege, & sub periculo pœnæ non est jussum observari.* Si non itaque perspicuè mandatum est, ut Lutherum vel Calvinum habeamus pro Reformatore extra ordinem divinitus excitato, non etiam lege divinâ agnoscendus est pro tali Reformatore. Iam vero præter Lutherum vel Calvinum, ejusque primos fortè adhærentes, non dantur alij, quos afferant Lutherani vel Calviniani esse agnoscendos tanquam Reformatores divinitus excitatos. Si ergo Luthero vel Calvino nihil mandatum est, omnino non est mandatum. Nec verò generatim potuit tale mandatum dari: *Omnibus qui sese gerunt pro Reformatoribus extra ordinem divinitus excitatis, obsequendum est:* ceu jam ante diximus. Nec aliqua determinatio sufficit: *Cuidam Doctori in civitate VVittenbergensi vel Genevensi, tanquam extra ordinem Divinitus vocato,*

*vocato, obsequendum est*: cum lex talis fuit frustra, quoniam hominibus vulgò omnibus (qui tamen sequi divinum Reformatorem tenentur) non est perspicuum, hunc vel illum esse Divinitus excitatum. Aut sigillatim ergo veri Reformatores à Deo designati sunt hominibus: aut à Deo non est mandatum, ut hunc vel illum agnoscamus Reformatorem Divinitus excitatum.

### 6. Conclusio.

*SI à Deo non est perspicuè hominibus mandatum, vel Lutheri vel Cal-* 7
*vini extraordinariam vocationem ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas agnoscendam esse, non etiam hoc hominibus est lege quadam, & quidem sub periculo æternæ condemnationis, injunctum.*

Palam hoc est juxta axioma tertium: *Quicquid perspicuè propositum non est, vim legis non habet*: ut verbum addere haud sit necessarium.

### 7. Conclusio.

*SI Deus extra ordinem Lutherum vel Calvinum excitavit ad reparan-* 8
*das Ecclesiæ collapsæ ruinas, aut verè divinis miraculis, aut indubitatæ fidei aliis divinis testimoniis illam excitationem hominibus approbavit.*

Manifestum hoc est ex eo: quia quod Deus vult in re tanta, illud fide indubia munivit. Itaque homini divino quidem nomine aliquid acturo, autoritatem semper fecit vel miraculosis operibus, vel perspicuis testimonijs: quod nos docet utriusque fœderis universa historia. Cum Lutherus igitur vel Calvinus dicatur à Deo sigillatim, non tantum præter morem humanum, sed etiam præter consuetum Ecclesiæ ordinem, constitutus ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, alterutro modo necessum est à Deo hominibus hoc illius munus patefieri & approbari. Adegit vis hujus assertionis ipsum Conringium, ut allegaret Papæ Innocentij III hæc verba l. v. decret. tit. 7. cap. 12. *Cum interior missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantum asserere, quod ipse sit missus à Deo: cum hoc quilibet hæreticus asseveret: sed oportet quod astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium speciale.* Iam vero illud quod tribuitur Luthero vel Calvino, occultum quid est, adeoque à missione occulta utique est profectum, si à Deo profectum est: alterutro ergo modo probari debet, si sanè homines debet obligare ad agnoscendum Lutherum vel Calvinum tan-

quam

quam extra ordinem à Deo, ad reparandas Eccleſiæ ruinas, exci-
tatum: quemadmodum venditatur.

### 8. Concluſio.

9 *NEque Lutherus neque Calvinus, qui extra ordinem creditur à Deo excitatus ad reparandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, editis verè divinis miraculis, vocationi ſuæ extraordinariæ fidem fecit.*

Apoſtolorum doctrinam *confirmatam eſſe à Domino ſubſequentibus ſignis*, conſtitutum eſt hypotheſi altera. Lutherum verò vel Calvinum verè divinis editis miraculis inclaruiſſe, nemo hactenus affirmavit; uſque adeo id uſui & experientiæ refragatur.

### 9. Concluſio.

10 *SI Deus Lutherum vel Calvinum extra ordinem vocavit ad reparandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, & hoc notum voluit hominibus, hanc ſuam voluntatem indubitatis teſtimoniis, quæ diſtincta ſunt à miraculis, jam tum olim mortalibus patefecit.*

Cum duo ſcil. tantum ſint modi, quibus ſoleat Deus talem aliquam ſuam mentē hominibus patefacere, Prophetas ſcilicet ſuos vel miraculis muniendo, vel alijs teſtimonijs: per miracula autem id circa extraordinariam vocationem Lutheri vel Calvini factum non ſit: ſupereſt ut id per alia quædam certiſſima teſtimonia, vel hodieque adhuc fiat, vel olim ſit factum. Hodie id non fieri amplius, fatentur univerſi: olim igitur factum id oportuit.

### 10. Concluſio.

11 *SI Deus Lutherum vel Calvinum extra ordinem vocavit, ad reſtaurandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, factum id eſt tabellis ſcriptis.*

Literis enim opus eſſe volunt Proteſtantes ad fidelem memoriam conſervandam, ut jam monuimus axiomate decimo. Cum Deus igitur indubiè voluit Lutherum vel Calvinum agnoſci à populo Chriſtiano, tanquam extra ordinem vocatum ad reparandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, non potuit illud fieri aliter quam ſcripto aliquo. Ad hoc ſine tabulis ſcriptis non poſſe Legatis tuto in rebus magni momenti, nec ſolere credi, jam didicimus axiomate undecimo: idque propterea, quod tale quid exigat ipſa conditio ingenij humani, & neceſsitas certæ & fidelis memoriæ inter homines retinendæ: qua cumprimis cum opus ſit in magni momenti legationibus, multo magis in extraordinaria illa vocatione, ad reparandas Eccleſiæ collapſæ ruinas.

11. Con-

### 11. Concluſio.

*SI Deus quondam Lutherum vel Calvinum extraordinem vocavit ad reſtaurandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, factum illud eſt in libris Veteris vel Novi Teſtamenti.* 12

In hypotheſi prima jam eſt conſtitutum, nihil reperiri in univerſo terrarum, orbe quod Spiritu S. moderante ſit ſcriptum præter libros Veteris & Novi teſtamenti. Si igitur tabellis ſcriptis à Deo extra ordinem vocatus eſt Lutherus vel Calvinus, ad reſtaurandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, non poteſt id alibi factum eſſe, quam in ſacro codice Veteris ac Novi Teſtamenti.

### 12. Concluſio.

*SI Deus Lutherum vel Calvinum extra ordinem vocavit ad reparandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, illudque hominibus notum eſſe voluit, in ſacris literis id ipſum perſpicuè adeo declaratum eſt, ut omnibus in facili ſit petere hinc Domini ſui mentem.* 13

Omnis ſcilicet declaratio divinæ voluntatis in re tanta, debet eſſe non minus quam lex perſpicuè propoſita. Itaque in ſacris literis perſpicuè declarata eſt vocatio illa extraordinaria Lutheri, vel Calvini, ſi eſt declarata.

### 13. Concluſio.

*SI extraordinaria Lutheri vel Calvini vocatio, ad reſtaurandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, non eſt in Sacris à Deo perſpicuis verbis declarata, non eſt propoſita à Deo lege quadam, tanquam Eccleſiæ neceſſaria.* 14

Sequitur hoc ex ijs, quæ modò diſputavimus, & axiomate tertio. Quicquid ſcilicet non eſt perſpicuis verbis injunctum, illud non eſt mandatum aliqua lege, aut vim non habet legis. Quod in S. literis porro non eſt perſpicuè propoſitum, illud à Deo non eſt lege conſtitutum & mandatum, juxta Proteſtantes. Sed extraordinaria illa vocatio non eſt perſpicuis verbis Sacri codicis propoſita, nec eam mandavit Deus tanquam Eccleſiæ neceſſariam.

### 14. Concluſio.

*NEc Luthero, nec Calvino in ſacris literis uſquam, perſpicuis verbis collata eſt vocatio extraordinaria, ad reſtaurandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, nuſquam perſpicuis verbis eſt propoſita tanquam Eccleſiæ neceſſaria; multo minus d mandatum eſt ſub pœna aliqua.* 15

Hoc ipſum uno illo plus ſatis manifeſtum eſt; quoniam in univerſa

versa Sacra scriptura disertis verbis nulla fit mentio Lutheri vel Calvini; tantum abest, ut Deus hujus vel illius vocationem extraordinariam proposuerit tanquam Ecclesiæ necessariam, vel eam voluerit à Christianis agnosci.

15. Conclusio.

*PRætensa pura prædicatio verbi Dei, non est signum sufficiens extraordinariæ vocationis Lutheri vel Calvini, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, nisi hoc ipsum perspicuis S. scripturæ verbis demonstretur.*

Nolint hanc conclusionem negare Protestantes. Et siquidem Conringius eam neget, erit sibimetipsi manifestè contrarius.

16. Conclusio.

*PRædictum signum pro extraordinario vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Jer. 23. v. 21. 22. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, avertissem utique eos à via sua mala, & à cogitationibus eorum pessimis.*

Non enim in illis verbis vel gry reperias de Luthero vel Calvino. Provoco igitur ad omnium mortalium judicium, num quod ejusmodi verbis est conceptum, aliquam vel levem speciem habeat extraordinariæ vocationis, ad quemcunque pertinentis. Si quis legatum, non nisi ejusmodi documentis instructus, se venditet, num à quoque prudente admittatur? Num quis sanæ mentis existimet, ejusmodi tabulis, quæ loquuntur de falsis Prophetis, quæ nec syllabam habent de vera vocatione extraordinaria, sibi satis esse cautum, ut populo se obtrudat, tanquam extra ordinem vocatus, ad restaurandas Ecclesiæ ruinas? Num rex bonus, & seriò quærens salutem subditorum suorum, ad illum modum constitueret legatum, ut nec legatum nominaret, nec de constitutione legati cujuscunque quicquam loqueretur?

17. Conclusio.

*IDem Signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Jer. 23. v. 27. 28. Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum suum: sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal. Propheta qui habet somnium narret somnium: & qui habet sermonem meum loquatur sermonem meum verè. Quid pulvis ad triticum: dicit Dominus.*

Iterum in illis verbis nihil reperias de Luthero vel Calvino. Pro-

voco

voco igitur ad omnium mortalium judicium: num quod ejusmodi verbis est conceptum, aliquam vel levem speciem habeat extraordinariæ vocationis, ad quemcunque sub Novo Testamento pertinentis. Num quis sanæ mentis existimet, ejusmodi tabulis, quæ loquuntur de falsis Prophetis, quæ hortantut Prophetas veros ut loquantur sermonem Domini verè, quæ nec syllabam habent de constitutione veri Prophetæ, sibi satis esse cautum, ut populo se obtrudat, tanquam extraordinem vocatus, ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas?

18. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Jer. 27. v. 15. 22. Nam vers. 15. dicitur: Quia non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: ut ejiciat vos, & pereatis tam vos, quam Prophetæ, qui vaticinantur vobis. Et ver. 22. in Babylonem transferentur, & ibi erunt usq; ad diem visitationis meæ, dicit Dominus; & afferri faciam ea, & restitui in loco isto.*

Iterum in illis verbis nihil reperias pro Luthero vel Calvino. Provoco ad omnium mortalium judicium: num quod ejusmodi verbis proponitur, vel umbram habeat extraordinariæ vocationis, ad quemcunque pertinentis. *Ierem. 27. v. 15.* agitur de falsis Prophetis, quibus Protestantes Lutherum vel Calvinum nolunt annumeratum. *Jerem. 27. v. 22.* agitur de translatione populi Iudaici in Babylonem, ejusdemque radicatione: unde nullus intellectus quicquam eruat pro extraordinaria vocatione Lutheri, vel Calvini.

19. Conclusio.

*PRætensum donum dicendi & docendi, donum imperterritæ in vera Dei veri doctrina constantiæ, exemplo Isaiæ Christi & Apostolorum, non est signum extraordinariæ vocationis Lutheri vel Calvini, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas; nisi hoc ipsum perspicuis S. Scripturæ verbis demonstretur.*

Non possunt hanc conclusionem negare Protestantes, nisi velint rem tantam in Ecclesia admitti, sine perspicua S. Scripturæ demonstratione.

20. Conclusio.

*PRadictum signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Isai. 3. v. 8. Ruit enim Jerusalem & Judas concidit,* quia

*quia lingua eorum & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

Aperiant hic oculos qui oculos habent, & videant, an quis hic vel per somnium inveniant istud signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.

21. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri, vel Calvini non probatur ex Isai. 5. v. 8. Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usq; ad terminum loci: nunquid habitabitis soli vos in medio terræ?*

Quis non miretur, esse homines sanæ mentis, qui talia loca producant? ut probent Lutheri vel Calvini extraordinariam vocationem, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.

22. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Isa. 8. v. 1. 2. 3. Et dixit Dominus ad me: sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: & accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: festina prædare.*

Est ne hoc dictum Luthero, vel Calvino? *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Nunquid Lutherani vel Calviniani, tanquam filij istius Prophetæ, vocantur? *Accelera spolia detrahere, festina prædare.* Num talibus verbis probabitur Lutheri, vel Calvini extraordinaria vocatio? quanta istorum hominum cæcitas!

23. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Matt. 7, 20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Hic nihil est de Luthero vel Calvino, ut ex ejus fructibus cognoscamus extraordinariam ipsius vocationem, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.

24. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Luc. 4. v. 18. Luc. 4. 18. legitur: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me Evangelizare pauperibus, misit me sanare contritos corde.*

*corde. & v. 22. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius & dicebant: Nonne hic est filius Joseph?*

Quis hominum sibi persuadeat, in illis scripturis aliquid esse, quod faciat pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini? Et tamen sunt viri docti, qui ista allegant ut toti mundo extraordinariam Lutheri vel Calvini vocationem persuadeant.

25. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Eph. 3. v. 3. 4. Secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.*

Vbi hic iterum vel verbum, quod per umbram pertineat ad statuendum signum extraordinariæ vocationis, ad Lutherum vel Calvinum pertinentis? Quid hæc ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas?

26. Conclusio.

*PRætensus successus Reformationis, non est signum extraordinariæ vocationis Lutheri vel Calvini ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas: nisi hoc ipsum perspicuis S. scripturæ testimoniis probetur.*

Nullam controversiam patitur hæc conclusio: neque enim ipsi Protestantes volunt, nos rem tantam sine testimonio S. scripturæ admittere, allegantes varios textus, quos producemus,

27. Conclusio.

*PRædictum signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini non probatur ex Jer. 3. v. 8. 10. 19. Legitur vers. 8. Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo, quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudii & non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, sed abiit, & fornicata est etiam ipsa. & v. 10. Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus. Et v. 19. Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium?*

Nihil esse in istis verbis, unde Protestantes quicquam eliciant pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, patet cuicunque legenti.

28. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini non probatur ex Luc. 21. 16. Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis.*

Quæso, considerent hunc textum Protestantes, an ibi vel Lutheri, vel Calvini, vel collapsæ Ecclesiæ, vel extraordinariæ missionis, aut ejus aut eiusmodi signi, quocunque modo fiat mentio.

29. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini non probatur ex Rom. 15. v. 18. 19. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo & factis: in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usq; ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.*

Rogo quemlibet Protestantem, ut apertè declaret, an existimet ex illis Scripturæ verbis posse elici extraordinariam vocationem Lutheri, aut Calvini, vel signum aliquod pro eadem, ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.

30. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini non probatur ex 2. Cor. 3. v. 3. 10. Nam v. 3. legitur: Manifestati quod epistola estis Christi, manifestata à nobis, & scripta non atramento sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Et v. 10. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.*

Legant nobis in istis verbis Protestantes signum aliquod pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini; vel qualemcunque successum prætensæ Reformationis esse signum extraordinariæ vocationis.

31. Conclusio.

*IDem signum pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini non probatur ex 1. Thess. 1. v. 5. Quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu S. & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos.*

Legant nobis Protestantes in illis verbis, qualemcunque successum prætensæ Reformationis ab Apostolo tanquam signum statui extraordinariæ vocationis.

32. Con-

32. Conclusio.

*PRædictio Apostolica, non est signum extraordinariæ vocationis Lutheri vel Calvini, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas: nisi illa prædictio in perspicuis S. scripturæ textibus inveniatur.*

Si illa prædictio Apostolica non est scripta, nullam ei fidem adhibere volunt Protestantes. Si non perspicuè est scripta, nolet Conringius nobis eam obtrudere.

33. Conclusio.

*PRædictio Apostolica pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini, non probatur ex Apoc. 11. v. 3. & dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*

Considerent Protestantes, an seriò agant, quando producunt hunc locum, ad probandam prædictionem Apostolicam, pro Lutheri vel Calvini extraordinaria vocatione. Nolo nunc ostendere, nihil esse in illo textu pro Luthero vel Calvino, sed plurima contraria. Aveo intelligere, an Dominus Conringius vel hujus vel aliorum textuum, tanquam benè allegatorum, defensionem suscepturus sit.

34. Conclusio.

*PRædictio Apostolica pro extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini non probatur ex Apoc. 14. v. 6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut Evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem & tribum & linguam & populum.*

Pro rejectione hujus probationis, nulla opus industria. Exigat eam qui voluerit, ad axiomata & hypotheses concessas.

35. Conclusio.

*Vaticinium prætensum Joannis Hussi, non sufficit ad probandam vocationem extraordinariam Lutheri.* Magni illud facit Ioannes Crocius, magnas nugas vendens, *Anti Becan. Tom. 2. contr. 12. sec. 13. num. 26. pag. 600.*

36. Conclusio. 16

*FVeritne Lutherus, Calvinus, Menno, Socinus, aut alius quicunque ex tota turba prætensorum Reformatorum, extra ordinem vocatus ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, non est definitum, & hominibus propalatum, indubitatis divinis testimoniis.*

Non enim quasi clara voce id hominibus à Deo solet significari: quem-

ri: quemadmodum factum est de Salvatore nostro. Non miraculis divinis id confirmatur, ad modum Apostolorum. Non in Sacro codice tale quid perscriptum est. De quo nemo dubitat, qui præmissas vanissimas probationes inspexerit. Ne quidem traditione quadam orali hoc ad posteros translatum est. Hæc verò sola sunt certa illa indicia, quibus Deus Prophetas & Apostolos, imò ipsum Filium suum humano generi dedit, quos sequantur.

37. Conclusio.

*Si non omnino falsum est, Lutherum, Calvinum, Mennonem, Socinum, & alium quemcunque ex tota turba prætensorum Reformatorum, extra ordinem vocatum ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, saltem incertum est, quis eorum sit divinitus extra ordinem vocatus.*

Nec enim vocatio extraordinaria est communis omnibus eam venditantibus; quum & Pseudo-Prophetas & pessimos hæreticos eam prætendere, nulli sit dubium. At verò extra ordinem divinitus vocatos, à suppositiitiis, & falsis discernere, hominibus ratiocinationi suæ tantum innitentibus, non est notum, nec divinitus revelatum. Est proinde omnino incertum, si non omni ex parte falsum.

38. Conclusio.

*Falsum est, Lutherum, Calvinum, aut alium quemcunque ex tota prætensorum Reformatorum turba, extra ordinem fuisse vocatum, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.*

Iam scilicet demonstratum est, hominibus fuisse à Deo clarissimis indicijs proditum, si esset factum. Non autem proditum esse sive in genere de omnibus prætensis Reformatoribus, sive de ullo eorum, itidem ostensum est. Superest ergo, id omne falsum esse & commentitium.

Idem liquet etiam ex eo, quod cùm à Lutheranis, tum à Calvinianis multa tradantur, tanquam divinitus revelata, quæ planè sint falsa, prout de extraordinaria vocatione Lutheri vel Calvini ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, liquidò est ostensum. Iam verò, qui aliquid adversum docet doctrinæ Apostolicæ, illum à Deo non esse, in hypothesi tertia est concessum.

*ANIMADVERSIO I.*

Quæ integro hoc capite disputantur à Dominis Walenburchijs

burchijs, illa nihil contra me, nihil etiam forte contra quenquam doctiorem Evangelicæ Protestantium Ecclesiæ facere, abunde jam tum patet ex ijs quæ prolixe adduximus in Appendice Animadversionum ad cap. I. Possem itaque uno verbo omne hoc rejicere, tanquam alienum. Et vero fateor equidem, omnes hujus capitis Conclusiones veras esse: nec quenquam eorum qui Ecclesiam à Papistico fermento hactenus purgaverunt, proprie sic dicta extraordinaria vocatione ad sanctum hoc opus à Deo accitum esse. Adferam tamen & monebo paucula ad singulas Conclusiones: præsertim quoniam illarum probationes nonnullæ merentur seorsim suam animadversionem.

## ANIMADVERSIO II.

Quod in probatione Conclusionis primæ dicitur: *Restituere Ecclesiæ collapsæ ruinas per vocatos extra ordinem à Deo, judicarunt Protestantes necessarium saluti hominum:* id falsum esse jam demonstravimus; nisi id intellectum velis de impropriè dicta Extraordinaria Vocatione, ad quam indicandam non opus est singulari aliqua divina revelatione.

## ANIMADVERSIO III.

Iterum sub finem probationis impingitur in eundem lapidem: quasi scilicet *Protestantes* Extraordinariam divinam Vocationem *tanquam fundamentum statuant subsequutæ reformationis.* Falsum quoque est id quo nititur argumentum secundum: quod modus Ecclesiæ servandæ per reformationem egeat nova revelatione: cum reformatio non debuerit institui nisi ad normam & regulam jam revelatam, & dudum fuerit revelatum, omnibus sine discrimine non fas tantum sed & in officio esse, pro viribus, vera doctrina in medium adducta, Ecclesiam à pravis dogmatibus & moribus purgare.

ANIMADVERSIO IV.

Probatio Conclusionis prima bene sese habet. Altera verò nullius est momenti. Nec enim ad illam quicquam faciunt axioma septimum & octavum, utpote quæ loquantur de Summæ cujusq; potestatis ex arbitrio rempublicam regentib⁹ magistratibus aut legatis, quorum præceptis positivis non minus sit parendum atque ijs, quæ immediate ab ipsa Summa potestate profecta sunt. Longe alia autem est doctorum aut interpretum conditio: ut qui nulla sint præditi potestate imperandi, & docere teneantur secundum normam præscriptam, observataque interpretandi & docendi arte: atque adeo quibus nemo tenetur assentiri, nisi illi probe fuerint suo officio functi, & probe functos esse discipuli intellexerint: quod intelligere licet, sine ulla doctoris approbatione nova à Summa potestate facta, utpote quæ accipi possit ex principijs natura facile notis. Admodum diversa igitur est est conditio Lutheri aliorumque magistrorum Protestantium, à Vicaria illa dignitate Summæ potestatis divinæ, quam Papæ aut Conciliorum Oecumenicorum Episcopi sibi arrogant. Quippe quum illi meri fuerint doctores; hi vero infallibiles velint haberi divini magistratus, & quorum jussa, placita, & anathemata divinâ polleant auctoritate. Quemadmodum igitur ἀνυπεύθυνοι magistratus non nisi ab ipsa Summa potestate tutò queunt populo cum disertis sui hujus beneplaciti testimonijs præfici, in doctoribus autem nihil tale exigitur, neque exigi potest: ita Papas quidem aut illos Conciliorum Episcopos ab ipso Deo necessum est, additis luculentis indicijs, Legatos & Vicarios constitui; ut Lutherus autem habeatur bonus vel malus Ecclesiæ doctor, necessum id non est, sed sufficiunt indicia naturâ nota boni aut mali doctoris.

ANIMADVERSIO V.

Conclusio vera est, etiamsi per *indubitata* testimonia non intelli-

intelligantur *noviter revelata*. Quod si tamen Deus voluisset Luthero obediri, tanquam extra ordinem misso legato, opus fuisset nova revelatione. Adeoque hactenus admittenda est probatio.

ANIMADVERSIO VI.

Malos in probatione quintæ suæ Conclusionis mei imitatores agunt Walenburchij. Dixeram ego: *Si non perspicuè mandatum est, ut in fidei negotiis Innocentium X. audiamus, aut illos qui interfuere Concilio Tridentino, non etiam lege divina obedire illis tenemur in negotiis istis Fidei; jam vero præter singulos non dantur alij aut Papa aut Episcopi: cum omnes actiones sint singularium.* Unde patet hoc me voluisse: opus esse, ut aliquid sit de singulis Papis & Episcopis à Deo mandatum, quibus tanquam vicarijs divinæ auctoritatis suæ obedientiam voluerit præstare. Non sufficere autē, si generatim dictum fortè sit: Omnibus veris Papis aut omni Concilio Oecumenico ex veris Episcopis conflato sanctè est credendum: quia vulgò ignotū est, quis verus sit Papa aut rite vocatus Episcopus. Hanc mentem meam non videntur perspexisse Domini Walenburchij, itaque nullam instituunt similem differentiam inter omnes & singulos Reformatores. Ad hoc falsa est illorum isthæc propositio: *Præter Lutherum vel Calvinum, ejusq; primos forte adhærentes, non dantur alij, quos asserant Lutherani vel Calviniani esse agnoscendos tanquam Reformatores divinitus excitatos.* Si sane loquantur, ceu par est & res exigit, de propriè sic dicta divina excitatione aut vocatione, neminem omnium agnoscunt Evangelici, *tanquam reformatorem divinitus excitatum:* atque adeo utuntur Walenburchij propositione à nobis nunquam concessa. Ex adverso mea illa in cujus locum sua substituerunt, est apud Pontificios receptissima: Quod nempe præter Papas singulos & illos qui interfuerunt hactenus Oecumenicis Concilijs, non sint alij

Episcopi quorum sententijs in Fidei controversiis hactenus definitis sit standum. Hinc adeo factum est, ut meæ Conclusionis illius omnia turbent Papistica Fidei fundamenta: Walenburchiorum autem nihil nos attingat.

*ANIMADVERSIO VII.*

Recta quidem hic omnia: sed frustra adducta contra Protestantes.

*ANIMADVERSIO IIX.*

Mea verba hæc fuerant: *Papa & Ecclesiæ Romanæ Episcopi* (qui scil. Concilijs Oecumenicis intersunt) *ferunt sese à Deo singulatim, & quidem præter morem humanum, constitutos Dei in negocio Fidei Vicarios.* Item: *Illud quod sibi Papa & Ecclesia Romana attribuit occultum quid est.* Quæ utique ut vera sunt ita nec à Pontificijs solent tamen negari. Hæc autem imitari volentes Domini Walenburchij scribere ausi sunt: *Lutherus & Calvinus dicitur à Deo singulatim, non tantum præter morem humanum, sed etiam præter consuetum Ecclesiæ ordinem, constitutus ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.* Item: *Quod tribuitur Luthero vel Calvino occultum quid est.* Quorum nihil non plurimùm à vero remotum est. Et vero Primum: jure naturæ tenetur quilibet veritatem, quam ipse novit esse ad salutem homini necessariam, docere: saltim hactenus igitur Lutherus quoque & Calvinus more communi humano fuere ad docendum obstricti. Ut veritatem autem ipsi intelligerent, non fuit itidem opus ullo quod morem humanum excederet adminiculo. Contra quàm opus est, ut quis sit ἀνυπεύθυνος Vicedeus, aut plane infallibilis Fidei arbiter. Secundò *non est præter consuetum Ecclesiæ ordinem*, ut aliquis agnitam doceat veritatem, etiamsi ad id non fuerit publico munere Ecclesiastico constitutus. Quamvis igitur nemo Reformantium ad id sigillatim, ut reformaret, fuerit rite conductus vel allectus, potuit illud tamen quisque eorum, idque

juxta

juxta consuetum Ecclesiæ ordinem. Falsum igitur Tertio est, quod Lutherus *dicatur à Deo sigillatim, non tantum præter morem humanum, sed etiam præter consuetum Ecclesiæ ordinem, constitutus.* Non etiam Quarto *occultum quid* Luthero vel Calvino tribuitur. Nam utrum quis sit bonus doctor aut interpres Scripturæ, potest ab omnibus intelligi, qui norunt quid ad bonam interpretationem requiratur: hoc autem intelligitur ex ijs quæ naturaliter & fiunt & nota sunt. Ex adverso autem quis sit à Deo constitutus infallibilis Vicarius divinus, non potest per indicia naturalia intelligi.

*ANIMADVERSIO IX.*

Hic nihil invenio quod reprehensionem mereatur, præter voculam *suæ* in Conclusione additæ *Vocationi extraordinariæ*. Nec enim vel Lutherus vel Calvinus talem aliquam *suam* Vocationem Extraordinariam agnovit.

*ANIMADVERSIO X.*

Etiam Nonæ Conclusionis omnia recte imitati sunt Domini Walenburchij. Tantum velim notari illa verba ultima: *Hodie id non fieri amplius, fatentur universi: olim igitur factum id oportuit.* Qui ita sane mecum sentit, necessum est simul agnoscat: nulla hodie fieri indicia nova voluntatis divinæ de salute æterna hominum, sed jam olim illa esse patefacta; atque adeo, cum non nisi Deo revelante sciri possit, quid ad salutem sit necessarium, hodie demum nihil posse ab Ecclesia constitui, de Fide aut articulum Fidei esse, quod non jam tum olim aperte fuerit à Deo proditum.

*ANIMAVERSIO XI.*

In Probatione tria occurrunt animadversionem commerita. *Primo* enim ita loquuntur Domini Walenburchij, quasi non ipsi, sed soli Protestantes, velint, literis opus esse ad fidelem memoriam conservandam, idque jam esse monitum axiomate decimo. Ibi vero in universum juxta mecum dixe-

rant Walenburchij: *Hoc ab omnibus solet concedi: omnibus enim evidentissimum est illud Livij: literæ sunt una fidelis custodia memoriæ rerum gestarum.* Reapse ipitur sibimetipsis hîc Domini Walenburchij contradicunt. Adhoc, si soli Potestantes ita credunt, verum autem non est, utiq; Conclusio male ab ipsis est demonstrata, cum omnis demonstratio debeat institui ex principijs veris.

*Secundo* falsum est illud: Deus indubie voluit Lutherum vel Calvinum agnosci à populo Christiano tanquam extra ordinem vocatum: nisi quidem Domini Walenburchij velint ludere ambigua significatione *extraordinariæ vocationis.*

Falso *Tertio* sub finem ponitur, quasi *Extraordinaria Vocatione ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas* fuerit opus.

*ANIMADVERSIO XII.*

Firmo omnia hic stant talo. Advertant autem mecum lectores omnes, denuo hic agnosci à Walenburchijs: *nihil reperiri in universo terrarum orbe, quod Spiritu S. moderante sit scriptum præter libros Veteris & Novi Testamenti.* Vtinam nunquam, ipsis hoc excidisse alibi, justam queamus querelam instituere!

*ANIMADVERSIO XIII.*

Verissima sunt Conclusionis Duodecimæ omnia: sed nihil ad rem Protestantium.

*ANIMADVERSIO XIV.*

Etiam hic par est ratio: nisi quod mereatur reprehensionem illud, *juxta Protestantes.* Sed ea de re etiam erit infra aliquid dicendum.

*ANIMADVERSIO XV.*

Ejusdem cum antecedentibus duobus hæc quoque sunt conditionis.

ANI-

*ANIMADVERSIO XVI.*

Ad imitationem eorum quæ à me Conclusione xv. & xvi adducta sunt, Domini Walenburchij produxerunt integras viginti Conclusiones; nempe usque ad tricesimam sextam: Sed facinore plane illaudabili, & quod nemo æquior excusaverit. Attuleram ego dicta illa S. Scripturæ, quibus ex more omnes Pontificij conantur demonstrare, vel Papis vel Ecclesiæ suæ Oecumenicis Concilijs vim infallibilem judicandi Fidei controversias à Deo concessam, eaque nihil ad id quod reapse probandum erat facere, ostenderam. Atque ita officio functus fueram boni disputatoris. Reverendissimi Domini Walenburchij ex adverso, præterquā quod ita disputent, quasi apud Protestantes Extraordinaria Reformatorum magistrorum vocatio sit principium propemodum Ecclesiis nostris primum, adducunt varia ex Scripturis præcipuè petita, jactitantes illis Extraordinariam istam vocationem nequaquam demonstrari posse: tacite tamen significantes, quasi illis soleant Protestantes, pro demonstranda illa vocatione uti. Noverant vero utique Domini Walenburchij, saltim à me nunquam illa fuisse adhibita. Saltim ergo in hac mihi opposita disputatione non debuisset lectori incauto is fucus fieri, ut & ego in culpæ aut ineptiarum suspicionem adducar. Non credo porro, quenquam Protestantium adeo delirasse, ut tam inepte, & stolide, fuerit argumentatus. Mihi certe id qui fecerit, nemo est notus. Quid vero? num si quis ita ineptiverit, mihi vel omnibus Protestantibus talia objecta oportuit? Qur non meminerunt nominatim Domini Walenburchij eorum, qui ita sint argumentati? Sane hic quidem sine discrimine Protestantibus ista impinguntur, verùm illis in universum omnibus sine calumniæ infamia nemo ista adscripserit.

Nullius utique nominatim faciunt Walenburchij mentionem,

tionem, quàm Conclusione tricesima quinta, unius Joannis Crocij. Ille vero itidem manifestâ petitur calumnia. Quamvis enim Crocius Hussi vaticinium memoret, illo qui à Walenburchijs adducitur loco, non tamen fecit in id, ut hinc probet verè extraordinariam Lutheri vocationem. Illa ipsa Sectione non semel negat, Lutherum esse illo extraordinario modo vocatum, aut Lutherum talem aliquam vocationem sibi vindicasse. Idem ex professo adstruit pluribus integra sectione duodecima; cujus argumentum est: *An Lutherus sit vocatus extraordinarie.* Et quidem ipsiusmet Lutheri hæc verba adfert statim §. I. *Gloriari non possum, me à Deo immediate è cœlo vocatum esse.*

Quum adeo aperte verò non dubitaverint Domini Walenburchij injuriam facere Crocio, quis non dixerit & reliqua omnia saltim suspecta merito oportere esse ejusdem criminis?

Respondeo igitur ad omnes illas viginti Conclusiones una vice: omnes veras esse, sed per turpem calumniam, forte & contra conscientiam, Protestantibus à Dominis Walenburchijs ineptas illas argumentationes quibus Conclusiones sunt oppositæ, adscriptas esse. A me simile quid commissum, aut præivisse me malo exemplo, non profecto quisquam probaverit.

*ANIMADVERSIO XVII.*

Conclusio tricesima sexta meam decimam septimam, & sequentes tres meas itidem subsequentes, imitantur quidem, sed malo, ut semper aliàs, more. Ponunt enim scilicet tanquam certum, id quod nullo probaverunt verbo: Reformatores habuisse opus extraordinaria vocatione, idque agnosci à Protestantibus: quo nihil est falsius. Cum ex adverso ego demonstrassem, Extraordinaria vocatione indigere singulas Papas & Conciliorum Oecumenicorum Episcopos,

pos,

pos, & tamen omnes in universum tali vocatione esse destitutos. Cum omnes itaque quatuor illæ Conclusiones ejusdem sint, ut ita loquar, & farinæ & furfuris, non est necessum seorsim in singulas animadvertere.

## Caput V.

### Dispositio ad sequelas ex subversa extraordinaria vocatione Lutheri, Calvini, &c. deducendas.

POstquam luculenter ostendimus, sive Luthero, sive Calvino, sive cuicunque alteri de tota prætensa Reformatorum turba, falso tribui vocationem extraordinariam, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas; nunc breviter addemus nonnullas sequelas, conclusionibus comprehensas, ut sciant omnes pij, & Christo fideles, quemadmodum erga illos, & eorum sectatores se gerere debuerint, & etiamnum debeant. Agemus autem similiter per axiomata, & hypoteses, cum omnibus hominibus, tum Christianis universis notissimas.

*ANIMADVERSIO I.*

Dispositio hæc, ut & quæ sequuntur capita, infelicia itidem sunt meæ Concussionis imitamenta. Etenim citra controversiam est, quod apud Pontificios, vel Episcopis universis in Concilijs Oecumenicis congregatis, vel singulis Papis competat infallibile arbitrium eorum quæ ad Fidem & mores pertinent definiendorum, quale quid est negatum cæteris mortalibus. Talem autem vim facultatemq; nec Reformatorum quisquam sibi arrogavit, nec quisquam Protestantium cuiquam illorum adscribit. Illam verò vim infallibilem à Deo concessam esse & concedi solere, vel Papis vel Episcopis istis, unanimis itidem sententia est Pontificiorum. Ex adverso, unanimis est nostra sententia, nihil peculiare, excedens scil. vim communem Christianorum, Reformatoribus datum esse; & ipsimet Reformatores id ultrò semper sunt fassi. De-

monstravi ego porro, ad talem vim infallibilem Ecclesiæ certò probandam, necessaria esse testimonia vere divina, omnibus quibus illa vis concessa creditur. Walenburchij autem non probarunt, Reformatoribus itidem opus fuisse talibus testimonijs divinis. Hinc igitur apparet, me quidem recte persecutum disputationem, postquam constitutum jam esset, divinis testimonijs Papis aut Episcopis illis Conciliorum generalium adstitibus opus omnino esse: at Walenburchiorum longe aliam esse conditionem, quippe qui ponant tanquam fundamenti loco id quod nemo Protestantium hactenus admisit, & à Walenburchijs non est probatum; eoq; illos (quod pace eorum sit dictum) non nisi operose nugas agere.

## CAPUT VI.

## 1. Axiomata apud omnes perinde certa.

I.

*NOn quævis ignorantia juris excusat à culpa, & omni pœna sontem liberat.*

II.

*QVò ignorantia juris magis minusve est vincibilis, eò culpa gravior leviorve redditur.*

III.

*JUris inter omnes vulgo recepti & communis ignorantia, hominem ab ingenio satis instructum, à valdè lata culpa vix excusat.*

IV.

*QUi juris communis admonitus non abstinet ab opere malo; is à culpa latißima vix se potest excusare.*

V.

*QUi legatum sese fert regis, eoque nomine pro arbitratu rempublicam suscipit gubernandam, nec tamen à Rege satis est à documentis instructus, ille graviter peccat; & si dolo quidem malo eum sese gerat, reus est læsæ Majestatis; sin, saltem illi crimini per est vicinus.*

Hæc communis est prudentum sententia. Hinc disertè l. 3. ff. ad leg. Iul. Majest. inter Majestatis crimina refertur, *si privatus pro Potesta-*

*Potestate Magistratuve quid sciens dolo malo gesserit.* Nec ejusmodi aliquem absolvit plenè, quod absit dolus malus, & quod existimaverit sibi aut nullis esse opus documentis, aut quodvis verbulum satis esse: ejusmodi enim ignorantia cum sit juris apud omnes homines recepti & communis, latæ admodum culpæ accensetur. Vt sanè ab ordinaria pœna sontem absolvat ignorantia isthæc, quin tamen pœna sat gravi ille sit dignus, non solet utique in dubium vocari.

VI.

*QVi nullis documentis subnixus Pro-Regem aut Pro-Principem sese gerens, leges novas à veris & receptis dissonas promulgat, eos qui ipsum non colunt tanquam Pro-regem, aut legibus illius novis non obtemperant proscribit, imò ferro & igne persequitur, is reipublicæ est verè perduellis, si dolo se Pro-regem dixit: sin, saltem perduellioni est proximus.*

*Perduellionis* scil. *reus est qui hostili animo adversus rempublicam est animatus*, ut rectè dicitur l. 11. ff. ad leg. Iul. Majest. Qui modo enumerato autem agit dolo malo, utique hostem se ex professo gerit reipublicæ. Cùm rempublicam verò vehementer perturbet, is etiam qui latâ culpa ita se gerit, utique perduellioni saltem est vicinus.

VII.

*OMnem prudentem summa quoad fieri potest ope niti decet, ut sit certus de Legati, aut Magistratus à Rege aliquo missi, fide & autoritate.*

Constat hoc perinde apud omnes. Et verò id nisi fiat, facillimè quis decipiatur, idque etiam cum reipubl. universæ interdum summo dispendio: quale quid cavere pro virili omnem prudentem oportet.

IIX.

*QVicunq; credit temere falso Legato, aut falso Regis Vicario, ille seipsum in magnum conjicit periculum, dum scilicet studet obsequi mandatis illius falsarii, quæ sæpenumerò & sibi & reipublicæ sunt noxia.*

IX.

*QVæcunque ex mandato falsi aut Legati aut Vicarii Regii peraguntur, illa tametsi per se iniqua alias non sint, nullam vim habent; si verò nonnihil etiam adversentur receptis legibus, potius indignationem Regis merentur, quàm ejus gratiam.*

X.

*QUi novit, falsò quem se fingere Regium Legatum ac Vicarium, ille sibi ab eo cavere debet.*

XI.

*QUi novit falsò quem se fingere Regium Legatum, aut Vicarium in arduis negotiis Reipublicæ, ille quoad fieri potest debet deceptori isti obniti.*

XII.

*QUi sciens volensq; falsò Legato aut Proprincipi blanditur, & quasi cum eo in negotiis, quæ prætextu ementiti sui muneris agitat, colludit; ille quadamtenus saltem etiam ipse reus jure fuit perduellionis & læsæ Majestatis: si adjuvet illum falsarium, multò magis crimini isti est obnoxius.*

*ANIMADVERSIO I.*

Axiomata hæc & à me collecta & verissima esse, agnosco. Peto verò observari, eadem à Dominis Walenburchijs itidem agnita esse, tanquam *apud omnes perinde certa.* Nam aptissima esse ad id ut probetur, non posse communionem sanctam Ecclesiasticam iniri cum ijs, qui falso venditant, sese infallibiles à Deo Fidei rerum arbitros constitutos esse, hoc est, vel cum Papis vel cum Episcopis Romanensium Conciliorum generalium, luculente equidem demonstravi; & usus ipse unumquemque docebit. Quoniam verò à Dominis Walenburchijs hæc adducuntur positâ falsissimâ hypothesi, utiq; inanis est omnis eorum hæc mei imitatio.

## CAPUT VII.

## 1. Hypotheses Christianis omnibus communes.

1.

*MUlti in extremo die dicent quidem, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus: ille verò confitebitur: Nunquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Matth. 7. v. 22. 23.*

2.

*FUerunt quondam Pseudo-Prophetæ in populo Judaico: Similiter & inter Christianos erunt falsi Doctores: qui introducant sectas perditionis. Et multi sequuntur eorum luxurias; per quos via veritatis blasphe-*

*blasphemabitur, qui & in avaritia fictis verbis de Christianis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. 2.Petr.2. v. 1.2.3.*

3.

*CHristiani sunt quasi in medio luporum: ex mandato ergo Domini, debent esse prudentes sicut serpentes. Matth. 10. v. 16.*

4.

*CAvendum est Christianis à Pseudo-Prophetis: qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7. vers. 15.*

5.

*NOn cuivis spiritui credendum: sed probandi spiritus an ex Deo sint. 1. Joan. 4. v. 1.*

6.

*FRrustra colunt Deum, qui docent doctrinas & mandata hominum. Matth 15. v. 19.*

7.

*SI quis Christianis Evangelizaverit, præter id quod acceperunt ab Apostolis, anathema sit. Gal. 1. v. 9.*

8.

*QUi tepidus est, & nec frigidus nec calidus, illum incipiet Deus evomere ex ore suo. Apoc. 3. v. 16.*

9.

*POpulus Dei exire debet de Babylone, ut ne particeps sit delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiat. Apoc. 18. v. 4.*

10.

*NOn minus ad Christianos quam ad Judæos pertinet illud Isa. 19. v. 3. 14. Et dixit Dominus: eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me; & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: Ideo ecce ego addam, & admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: Peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentum ejus abscondetur.*

Si dictum hoc Isaiæ applicetur particulari huic vel illi Ecclesiæ declinanti, sic etiam ad Christianos pertinebit. Vt ad universalem, seu singulas quascunq; particulares Ecclesias transferatur Christianas, nulla est ratio. 11

Quum de omnibus hisce dubium nullum possit superesse, deducemus ex indemonstrabilibus illis principiis, jam sequelas aliquot.

### ANIMADVERSIO I.

Hæ etiam Hypotheses & à me collectæ & verissimæ, itidem autem inepta imitatione à Dominis Walenburchijs huc adductæ sunt. Perinde atque paulo ante de Axiomatibus diximus.

### ANIMADVERSIO II.

Perobscurum est hoc Walenburchianum additamentum: & ex parte falsum. Quis enim temerè capiat illa: *Si dictum hoc Isaiæ applicetur particulari huic aut illi Ecclesiæ*, attendens quod mox sequitur: *ut ad singulas quascunque particulares Ecclesias transferatur Christianas nulla ratio est*? Falsum porro est: *nullam esse rationem* quæ jubeat *dictum illud transferre ad universalem seu singulas quascunque particulares Ecclesias*. Ratio enim aperta est quæ id facere jubeat; quoniam scil. caussa maledictionis est universalis; adeoque si caussa illa adsit, sive in universali sive in singulari quacunque Ecclesia, etiam effectus caussæ illius, aut enormis illius criminis justissima pæna, exspectanda est. Nihil est caussæ, quare Walenburchij mitiora, singulis particularibus Ecclesiis Deum impiâ hypocrisi colentibus, ausint promittere.

## CAPUT IIX.

1 Sequelæ ex subversa extraordinaria vocatione Lutheri, Calvini, &c.

### Prima Sequela.

*Sive Lutherus, sive Calvinus, sive quilibet alius sponte & dolo malo, extra ordinem se à Deo vocatum venditat, ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, ille tenetur criminis læsæ Majestatis Divinæ.*

Sequitur hoc vi axiomatis quinti. Sicut enim in rebus humanis Majestas violatur, si privatus pro Magistratu se gesserit; multò magis

magis violatur Majestas Divina, si quis dolo malo Reformatorem se gerat extraordinem divinitus vocatum, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.

II. Sequela.

*Quicunq; pratensorum Reformatorum dolo malo leges novas, & sententias, quasi saluti æternæ necessarias promulgat, non obtemperantes anathemate percutit, ac ferro & igne persequitur, ille perduellionis Divinæ crimine tenetur.* II

Palam hoc est ex sexto axiomate. Et verò qui ad salutem exigit quæ isthuc non faciunt, turbat utique homines, & omnem Evangelicam doctrinam vehementer: qui falsò anathema dicit omnibus sibi non obtemperantibus, is Ecclesiæ pacem rumpit, adeoquè concordiam illam, quam præ aliis commendavit Salvator, è medio tollit: qui præterea ferro & igne dissidentes persequitur, is civilem quoque tranquillitatem violat. Atqui hæc agere dolo malo perduellionis crimen est, utpote quæ proficiscantur ex animo in rempublicam sive Ecclesiam hostili.

III. Sequela.

*Non propterea Lutherus, vel Calvinus, à culpa coram Deo poterit absolvi, quod non simpliciter dixerit sibi jus competere reformandi Ecclesiam, & restaurandi ejusdem collapsæ ruinas, sed se in id à Deo extra ordinem vocatum, atq; adeo quod nomine Dei functus sit illo suo falso munere.* III

Si enim hoc sufficit ad excusandam culpam; omnes ergò qui in Christi nomine prophetant Pseudo-prophetæ à culpa erunt immunes: quod repugnat hypothesi primæ & secundæ. Deindè, si dolo malo Lutherus vel Calvinus, divinum Reformatorem extra ordinem vocatum se fecerit, fuerit utique ille reus Majestatis aut perduellionis divinæ, ut modo probavimus: non ergò propterea excusabitur, quod ipsius Dei nomine extra ordinem vocatum Reformatorem se quis venditaverit.

IV. Sequela.

*Neq; Lutherum, neq; Calvinum, qui se jactat extra ordinem vocatum ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, à culpâ valde latâ excusat aliqua ignorantia.*

Ratio est: quoniam ignorantia hæc est facilè vincibilis: quippe quæ ex juribus inter omnes, cùm homines tum Christianos, receptis,

ptis, facillimo negotio posſit tolli, ceu apparuit in capite præcedente. Talem verò ignorantiam non abſolvere homines ab ingenio inſtructos, (quales utique fuerunt Lutherus, Calvinus, & reliqua prætenſorum Reformatorum turba) à culpa valdè lata, jam fuit confeſſum axiomate tertio.

V. Sequela.

*Lutherus, Calvinus, Lutherani, Calviniani, venditantes extraordinariam Dei vocationem, ad reſtaurandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, quum hos integros centum amplius annos publicè ab aliquot mille hominibus ſint culpæ ſuæ admoniti, & tamen non reſipuerint, vix à culpa latiſſima poſſunt excuſari.*

Admonitiones illas eſſe ita factas, & fieri hodieque, omnibus eſt compertum. Qui juris communis autem admonitus, non abſtinet ab opere improbo, is à culpa latiſſima ægre poteſt excuſari; ut habet axioma quartum.

VI. Sequela.

*Lutherus, Calvinus, & quilibet alius è tota prætenſorum Reformatorum turba, qui non dolo malo ſe jactat extra ordinem vocatum, ad reſtaurandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, parum tamen abeſt quin verè committat crimen læſæ Majeſtatis divinæ.*

Apparet hoc ex ijs, quæ habentur axiomate quinto, & ſequelâ primâ & quartâ. Privatum ſcilicet pro Magiſtratu extraordinario à Principe delegato ſe gerentem, cum non poſſit à culpa valdè lata niſi ægerrimè excuſari, ignorantiâ juris communis & paſſim recepti: ut habet ſequela prima: Lutherum itidem vel Calvinum
IV à culpa valdè lata illa vix poſſit tueri ignorantia, ut demonſtravimus ſequelâ quartâ & quintâ: Lata autem talis culpa præſtet ſontem, vicinum crimini læſæ majeſtatis, ut habetur axiomate quinto: neceſſarium eſt Lutherum, Calvinum, vel quemlibet alium falſo ſe ferentem, tanquam extra ordinem à Deo excitatum, ad reparandas Eccleſiæ collapſæ ruinas, eſſe crimini majeſtatis divinæ læſæ vicinos.

VII. Sequela.

V *Cum Lutherus, Calvinus, Lutherani, & Calviniani, Eccleſiæ leges & ſententias fidelibus obtrudant, tanquam ſint ad ſalutem neceſſaria, diſſidentes & non obtemperantes anathemate proſcribant, & ferro atq; flamma pro-*

*ma prosequantur, etiamsi ex aliqua ignorantia peccent, tamen illi proximi sunt perduellionis divinæ crimini.*

Si talia agerent Lutherus, Calvinus, Lutherani & Calviniani dolo malo, perduellionis divinæ eos teneri demonstravimus sequelâ secundâ. Iam vero, ignorantia, qua tenentur, non absolvit eos à culpa latissima: saltem itaque proximi sunt illi perduellionis crimini. Quemadmodum omnes, qui in illum modum vehementer rempublicam lacerant ac perturbant, per ignorantiam à latissima culpa non excusantur, quo minus haberi debeant vicini perduellionis crimini: ut dictum est axiomate sexto.

IIX. Sequela.

*QVicunque non sedulo inquirunt cum possint & debeant, in illam, quæ Luthero vel Calvino tribuitur, extraordinariam vocationem, ad restaurandas collapsæ Ecclesiæ ruinas, num vero sit consentanea nec ne; illi à culpa negligenter curatæ salutis suæ nequeunt excusari.* VI

Salutis æternæ sedula cura, cùm quodammodo ipsa naturæ lege, tum sigillatim sæpius lege divina est omnibus mandata. Iubet scilicet lex naturæ, ea sedulo agere & curare, quæ vitam faciunt beatiorem: & lex divina prudentes nos omnes esse jussit, quia vivimus in medio luporum: jussit cavere Pseudoprophetas, quales non defuturi sint Christianis: jussit probare spiritus an ex Deo sint: ut habetur hypothesi secundâ, tertiâ, quartâ, & quintâ. Has leges verò non observant, qui non diligenter inquirunt in veritatem vocationis extraordinariæ, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas: utpote cum ea temerariè admissa, si falsa sit, ut est falsa, salutis & Ecclesiæ Christianæ negotium plurimum turbetur. Vere enim hîc locum habet illud vetus: *Imperitia hominibus Sphinx est.*

A lata igitur culpa neglectæ salutis, illi qui non ritè inquirunt nequeunt excusari.

IX. Sequela.

*NEmo à lata culpa negligentia potest absolvi, qui omni inquirendæ veritatis cura sepofita securus admittit extraordinariam Lutheri vel Calvini vocationem, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas.*

Patet hoc ex priore sequela. Quoniam à Domino præmoniti sumus, fore in populo Christiano Pseudoprophetas & falsos do-

ctores, ne cuivis spiritui, aut illi qui jactat se extra ordinem vocatũ (ut de Luthero, Calvino, &c. fit) credendum esse, profectò negligenter admodum salutẽ suam curat, qui securus hunc vel illum admittit, tanquam extra ordinem vocatum, ad restaurandas Ecclesiæ ruinas.

X. Sequela.

VII *QVotquot agnoscunt Lutherum, vel Calvinum extra ordinem à Deo vocatum, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, in magnum peccati periculum se conjiciunt.*

Quemadmodum scilicet in periculo est constitutus, qui falso Legato obsequitur, ut habetur axiomate octavo: ita multò magis periculosum est Luthero vel Calvino tanquam extra ordinem vocato, obsequi; utpotè cum id fieri nequeat sine schismate Ecclesiæ, immò innocentium & rectè sentientium condemnatione, & gravissima persecutione.

XI. Sequela.

*QVi initio prætensæ Reformationis Lutherum, vel Calvinum agnoverunt tanquam extra ordinem à Deo vocatum, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, illorum plerique à valdè lata culpa nequeunt excusari.*

Argumento est, quoniam illorum isthæc ignorantia facilè tolli potuit, ut ex superioribus constat: ignorantia igitur illa non potest eos excusare à lata culpa.

XII. Sequela.

*QVi hodièq; præfractè per errorem volunt, Lutherum vel Calvinum fuisse extraordinem excitatum, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, illorum plerique à latissima culpa vix possunt excusari.*

Sequitur hoc ex ijs, quæ diximus Sequelâ quintâ. Omnes enim intra hosce centum annos publicè ab aliquot mille hominibus, productis in medium sacris literis, quibus non stabilitur extraordinaria illa vocatio, sed è quibus ejusmodi textus à Luthe-
IIX ranis & Calvinianis producuntur ad eam probandam, ut videantur depositâ conscientia voluisse illudere Deo & hominibus, admoniti sunt. Multò minùs igitur hodie quem ignorantia amplius excusat: ac proindè, qui in illa etiamnum hærent, latissimæ culpæ tenentur.

XIII. Sequela.

XX *QVi licet per errorem, mandata & sententias in sacris literis non ex-* *pressas*

*pressas Lutheri vel Calvini, tanquam ad salutem consequendam necessarius observant, illi eo ipso Deum frustra colunt.*

Omnia scil. hæc sunt mandata hominum, & quidem in quantum ad salutem creduntur facere, vehementer erronea: uti notum ex superioribus. Frustra autem Deus colitur mandatis ejusmodi hominum, uti habet hypothesis sexta.

XIV. Sequela.

*QVi citra Scripturæ ductum, sententias à Luthero vel Calvino definitas seu propositas colunt, imò qui falsum illum Reformatorem, nunquam ad hoc divinitus excitatum, venerantur, obnoxios se præbent illi divinæ maledictioni: peribit sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium obscurabitur.*

Manifestè id sequitur ex hypothesi decima. Minitatus scil. Deus est ejusmodi pœnam omnibus, qui seposito Sacro verbo attendunt talium hominum mandatis, quasi illa vim habeant aliquam consequendæ æternæ salutis: reapse etiam illâ pœnâ affici jam à quamplurimis seculis Iudæos Pharisaicis traditionibus & legibus Rabinorum intentos, sole meridiano est clarius, & agnoscunt hoc nobiscum inter Lutheranæ & Calvinianæ parti addictos omnes Iudaicarum fabularum gnari. Vis autem maledictionis extenditur tantùm ad negotia salutis & religionis, non autem ad alia civilia aut profana. Quidni ergo idem cum Iudæis agentes idem patiantur?

XV. Sequela.

*QVi ex præscripto Lutheri vel Calvini, Lutheranorum vel Calvinianorum, innocentes & veritatem professos anathemate feriunt, ferro item & igne persequuntur, etiamsi per errorem agant, quadamtenus tamen perduellionis Divinæ rei sunt*

Vtique enim & illi hostilia exercent in Ecclesiam Dei: ignorantia autem, qua tenentur, etsi eos à dolo malo excuset, atque adeo à pleno perduellionis crimine absolvat, tamen à latissima causa non liberat: ut suprà sequelâ septimâ de Luthero Calvino Lutheranis & Calvinianis est demonstratum; ac proinde etiam hi, etsi nonnihil minùs quàm illi, perduellionis meritò rei sunt.

XVI. Sequela.

*IN universum omnes, non Lutherus tantum & Calvinus, quibus falsò tri-*

*buitur extraordinaria vocatio, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, & hinc universam Ecclesiam Dei vehementer turbarunt, ac hostilia in eam exercuerunt, sed etiam qui illis ea in re crediderunt vel credunt, obsecuti sunt vel obsequuntur, etiamsi à dolo malo absint, pœnis Divinis sunt obnoxii: illas verò exactè definire superat captum humanum, & solius Dei est decernere.*

Quicunque enim tenentur culpa erga Deum, illi omnes pœnam Divinam promerentur. Omnes verò in universum tenentur tali aliquâ culpâ, ut jam ostendimus: oportet ergò pœn. Divinæ sint obnoxij. Superat verò captum nostrum istius pœnæ exacta definitio: quoniam pro diversa ignorantiæ ratione culpa gravior est, aut levior: ut habet axioma secundum: hanc verò exactè in omnibus discernere, longè excedit limites nostræ intelligentiæ. Hoc tamen extra dubium est: eos qui moniti adeò multis modis non satis circumspiciunt, & latissimâ culpâ læsæ Majestatis Divinæ, imò perduellionis tenentur, præ alijs gravissimam pœnam commeritos.

## XVII. Sequela.

*Cavendum est à Luthero Calvino & tota turba prætensorum Reformatorum, qui jactantur extra ordinem vocati ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, non minus atque à Pseudo-propheticis primæ notæ.*

Vt scil. Propheta est, qui Spiritu S. agitante id quod suggestum ipsi est, proloquitur: ita Pseudo-propheta est, qui mentitur dirigi ea quæ effatur ab illo Spiritu S. Cumq; alij vates de negotijs humanis aliquid enuncient; alij de ijs, quæ ad salutem æternã pertinent: indubiè primæ notæ sunt hi, posterioris illi. Jam verò Lutherus Calvinus & tota prætensorũ Reformatorum turba, dum quilibet prædicatur extra ordinẽ à Deo vocatus ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas; dum non sunt, quod dicuntur esse, jam Pseudo-prophetæ populis Christianis obtruduntur, & quidem primæ notæ. Cum ab omnibus itaque Pseudo-prophetis *cavere* nos jusserit Salvator, ut est in hypothesi quarta, hi utique etiam nobis cavendi fuerint. Vbi obiter observandum, Pseudo-prophetæ mirabilium operum effectori credere, fortassis magis mereri aliquam excusationem, quam credere illi qui talia nulla præstat, ac proindè qui ne ab eo quidem sibi cavet, pergraviter utique delinquere.

XIIX. Se-

## XIIX. Sequela.

*Luthero Calvino & toti turbæ prætensorum Reformatorum, jactanti extraordinariam Dei vocationem ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, meritò potest anathema dici.*

Præter enim illud, quod ab Apostolis acceptum est, illi Evangelizant, cùm alia, tùm cumprimis hoc: exigi unicè ad salutem Ecclesiæ, ut credamus illum vel istum extra ordinem à Deo vocatum. Est autem hoc utique præter id quod ab Apostolis acceptum est: ceu probavimus quarto capite. At verò illi qui Evangelizat præter id quod acceptum est ab Apostolis, anathema dicendum, disertè monuit S. Paulus, ut est in hypothesi septima. Nec verò est, quod velis To *præter* hîc significare tantundem atque *contra*: omnis enim qui exigit aliquid ultra id quod ad salutem exegerunt Apostoli, contradicit Apostolorum Evangelio: utpote qui eo ipso quo prædicarunt, quid sit necessarium, ultra illud nihil esse necessarium docuêre. Eleganter Tertullianus: *Cum credimus non desideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus.* Ideoque *Christi Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos*, ut *nihil in illis unquam permutat, nihil minuit*, ita & *nihil addit*: ut *non amputat necessaria*, ita & *non apponit superflua.* Quemadmodum ferè loquebatur Vincentius Lerinensis. Et vero ipsi illi de quibus sermo est Apostolo Paulo in Epistola ad Galatas, præter fidem in Christum, exigebant observationem legis Mosaicæ ad salutem, ipsam fidem necessariam esse haud negantes. Qua in sententia cum etiam post illa tempora perdurarent Nazaræi, in hæreticorum numerum relati sunt. De iisdem disserens S. Justinus Martyr Dialogo cum Thriphone pag. 206. edit. Commelinianæ, concedit quidem, salvari nonnullos posse, qui cum fide in Christum jungunt legis Mosaicæ observationem: negat tamen salvari eos posse, si observantiam legis ad salutem necessariam arbitrentur, & non observantes condemnent. Nec alij profectò fundamento innixi aureæ etiam ætatis prisci Christiani, nunquam dubitavêre inter hæreticos computare etiam illos, qui rem per se indifferentem ceu saluti necessariam venditaverunt; quod nos docent veterum monumenta.

## XIX. Sequela.

*Qui novit Lutherum, Calvinum, aut quemcunque alium de prætensa reformatorum turba, falso se jactare, tanquam extra ordinem à Deo vocatum ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, ille tenetur in moliminibus, in turbis, in persecutionibus innocentium, imo vere sentientium, pro virili Luthero Calvino & cujuscunque alteri de prætensa Reformatorum turba adversari.*

Natura nimirum obligantur omnes, quoad fieri licet, omni conatu sceleribus & impietati resistere. Iam vero Lutheri, Calvini, & cujuscunque alterius prætensè Reformatoris molimina, turbæ, persecutiones, & oppresiones, sunt iniquitatis plena; & Ecclesiam Dei, supra quam dici potest vehementer turbant. Nec potest hoc latere quemquam eorum, qui extraordinariam illam vocationem Lutheri Calvini vel cujuscunque alterius, agnoscunt falso jactari & urgeri. Si non attendant (quali incredibili alioquin sed fatali cœcitate, nonnullos laborare, non tamen negaverim) latissimâ nihilominus culpâ tenentur. Qui sanè intimè hæc norunt, & non adversantur Lutheri Calvini & cujuscunque alterius prætensè Reformatoris istis moliminibus, eos palam est, ipsi naturali juri mentibus omnium quasi congenito, haud obtemperare: quod fieri non potest sine peccato mortali.

## XX. Sequela.

*Qui rectiora edoctus Luthero, Calvino, aut cuicunque alteri è tota prætensè Reformatorum turba extraordinariam Dei vocationem, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, jactanti, turbas in Ecclesia excitanti, rectè sentientes condemnanti, innoxios exilio ferro & igne persequenti, blanditur & adulatur, is quadantenus crimen læsæ majestatis divinæ committit.*

Lutherus scilicet, & quicunque alius prætensus Reformator, talia patrans dolo, citra controversiam plenè reus est illius criminis: si non agat dolo, à latissima tamen culpa absolvi nequit, adeoque saltem vicinus illi sceleri est. Quicunque igitur Luthero Calvino, aut cuicunque alteri prætensè Reformatori, sive dolo sive per aliquem errorem in majestatem divinam delinquenti, sciens volens, lucelli fortè gratiâ, aut inanis honoris, læsæ majestatis divinæ crimen, quod toto animo omnes fideles debent detestari, flocci pendit, adeoque & ipsam divinam majestatem justo cultu haud

haud veneratur: saltem igitur quadantenus is quoque crimen læsæ majestatis committit.

XXI. Sequela.

*Qui rectiora edoctus, Luthero, Calvino, aut cuicunque alteri prætensè Reformatori, extraordinariam suam vocationem, iis queis diximus modis exercenti, adjutorem sese præbet: is verè perduellis est in Deum.*

Hostilia scilicet sunt in Dei Ecclesiam, adeoque Deum ipsum, qualia Lutherus Calvinus & quicunque alius prætensus Reformator egerunt & agunt: nec aliquam quilibet illorum interdum excusationem invenit (si tamen id fieri possit) quam ab ignorantia; quo minus omnis prætensus Reformator, ita se gerens, sit vere perduellis. Qui rectiorum sibi conscius ergo nihilominus Lutherum, Calvinum, aut alium quemcunque prætensum Reformatorem, adjuvat, is utique dolo malo in Ecclesiam Dei molitur hostilia: atque adeo verè perduellis est.

XXII. Sequela.

*Qui neque probat neque serio improbat Lutheri Calvini aut cujuscunque alterius extraordinariam vocationem, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, sed aliis intentus hoc susque deque habet, ille in periculo illo vivit, cujus fit mentio in hypothesi octava: ut Deus scilicet illum evomat ex ore suo.*

Ipso scilicet jure naturæ obligamur sectari virtutem, & vitia serio aversari non somnolenter: quæ ad salutis æternæ negotium pertinent, & illo eodem jure, & tot insuper divinis admonitionibus, excitati sumus cum cura magna agere. Cum itaque extraordinaria illa vocatio ad reparandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, tot mala post se trahat, & adversetur bono publico universæ Ecclesiæ, æquum profecto est, ut quisquis pro virili tantæ rei omnem operam admoveat. Qui negligentior proinde debito hac in parte est, non sane præstat sese qualem decebat bonum Christianum. Consequenter periculum est, ne illi Deus subtrahat Spiritus sancti gratiam, atque ita quem hactenus quasi fovit sinu suo, illum tanquam per vomitum rejciat, & permittat perire.

Tres ultimæ sequelæ hæ, illos qui in Lutheri vel Calvini communione, mollis vitæ honoris lucrique causa degunt, haud ignari cæteroquin, Lutherum vel Calvinum falso sibi extraordinariam

Dei

Dei vocationem, ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas, arrogasse (quorum magnus satis numerus est, inter apostatas comprimis) quam gravi sese crimine commaculent, quantove in periculo vivant suæ salutis perdendæ, facile commonefecerint. Nec vero leve est ἀδιάφορον, si Medeæ exemplo videns meliora probansq; sed deteriora sequaris. Verum non est hujus loci parænesin instituere.

*ANIMADVERSIO I.*

Similes Sequelas abs me etiam institutas, & hasce ad mei imitationem confictas esse, fateor. Est tamen harum dispar multum conditio à meis. Si enim in syllogismi formam singula cogas, Major quidem propositio quæ mea est nunquam non est vera, at Minor quæ est Walenburchiorum nunquam ferè non est aperte falsa. Ac Majorem quidem vero semper esse consentaneam, non poterunt non fateri & ipsi Domini Walenburchij: nisi ipsimet velint affirmare, usos sese contra conscientiam falsis argumentorum principijs. Si certè Majores singulæ propositiones non sunt indubitato veræ, omnes eorum syllogismi non nisi παραλογισμοὶ sunt aut fraudulenta σοφίσματα. Jam vero in singulis quas appellant Walenburchij Sequelis semper sumitur Minore propositione, quod Lutherus aut Calvinus jactaverint, sese verè extraordinario divino modo ad reformandam Ecclesiam vocatos, aut saltim quod ita vocatos illos esse vulgo Protestantes existiment. Utrumque autem falso à Walenburchijs affirmari, toties jam à me est inculcatum, ut tædeat pene iterum calumniæ illius meminisse.

*ANIMADVERSIO II.*

Procul abest à Reformatoribus, ut ferro & igne persequi soleant eos omnes qui doctrinæ suæ refragrantur. Multo minus id dolo malo fecit quisquam.

*ANIMADVERSIO III.*

Theorema verum est; falsissimum verò quod illi tanquam

quam pro fundamento est subjectum, quod nempe Lutherus vel Calvinus jactitaverint, se ad reparandas collapsæ Ecclesiæ ruinas à Deo extra ordinem vere vocatos esse.

*ANIMADVERSIO IV.*

Verum est, quod Lutherum vel Calvinum à culpa valde lata non posset tueri ignorantia juris, si illi dolose vendirassent sese à Deo missos. Hoc autem illos fecisse, calumnia atrox est Walenburchiorum.

*ANIMADVERSIO V.*

Dissidentes quosque statim anathemate proscribere, ferro etiam & flamma persequi, procul est à Protestantium moribus: quod paulo ante etiam ad calumniam respondimus.

## Caput IX.

## Laus Hermanni Conringii.

LAudem meretur Conringius apud omnes de ingenio & judicio 1
non modicam: apud Catholicos autem longè maximam, tum 2
quod axiomata indubitatæ apud omnes homines fidei, atque adeo naturaliter nota, tum quod hypotheses inter omnes Christianos concessas, non tantum ferè per omnia inoffense congesserit, riteque disposuerit, sed etiam ex iisdem axiomatibus ostenderit & hypothesibus, quo modo ad varias conclusiones & sequelas procedi possit.

Quod igitur repetiverim in hoc scripto axiomata illa & hypotheses, debeo Conringio: qui post quam eas publici juris fecit, 3
fortassis pro obsequio reputabit iteratam eorundem publicationem. Quod vero usus sim ijsdem pro concutienda Protestantium extraordinaria vocatione, & pro varijs sequelis inde deducendis, itidem debeo Conringio; cujus & exemplum secutus sum, 4
& propria verba, quantum ipsa patiebatur materia, adhibui.

Si Catholici existiment, me in præcedentibus aliquid utiliter 5
dixisse, unde perspiciant esse eversam extraordinariam vocationem Lutheri, Calvini, & cujuscunque alterius prætensè Reformatoris; indeque se habere, unde sibi caveant à schismaticis factioni-

6 bus, reddant gratias Conringio. Si Lutherani Calviniani alijque ab unitate Catholica segreges & partibus schismaticis adhærentes, hinc videant schismatis auctores, qui extraordinariam Dei vocationem ad restaurandas Ecclesiæ collapsæ ruinas jactant, & ut tales à suis sequacibus commendantur, nunquam fuisse ad hoc extra ordinem à Deo vocatos, nulloque vel semiprobabili S. Codicis testimonio id evinci posse, sed magnam autoritatem ingenti sacrilegio usurpasse; agnoscant se debitores Conringio.

Ne pro isto beneficio ingratus videar, addam nonnulla, ex
7 quibus constet cuicunque lectori, me in præcedentibus ea posuisse, quæ ab ipsis Protestantibus apertissime traduntur.

## ANIMADVERSIO I.

*Laudem*) Si quid est in me ingenij & judicij, cum liberalissimo divino munere nactus sim, non mihi laus, sed Deo benigno datori gloria debetur. Laudandi autem merito sunt Domini Walenburchij, quod ingenuo & candido animo agnoverint in me divina isthæc dona: quandoquidem illum animi candorem non deprehendere fuit in ullo reliquorum Concussionis meæ adversariorum, minime omnium in Erbermanno & Haunoldo, quorum uterque tamen præ alijs audire solet optimi & sanctissimi nostri Servatoris Jesu Socius: utpote quorum alteri sum *Grammaticus Medicus praetereaq; nihil*, Alteri *Grammaticellus & Medicellus.*

## ANIMADVERSIO II.

*Apud Catholicos*) Utinam Catholici qui audire optant serio intelligant vim & usum meæ illius collectionis! Deum sane obsecro, uti saltim imposterum assequantur. Quod ex axiomatibus & hypothesibus illis congestis ad varias conclusines & sequelas procedi possit, verissimum est. Imo ex illis censura infallibilis institui potest, omnis doctrinæ quæ divinitus revelata creditur: quâ tamen nulla non religio à condito orbe omni in populo sese hactenus venditavit: potest

potest judicari de omnibus qui falso revelatam divinam doctrinam crepant aut crepantes sectantur. Tam amplus vero est illius συλλογῆς usus, quoniam saltim axiomata, sunt indubitatæ apud omnes homines fidei, & principia nobiscum nata revelatæ cujuslibet doctrinæ cognoscendæ.

ANIMADVERSIO III.

*Pro obsequio)* Fateor gaudere me, cum libelli mei Concussorij Papisticæ sectæ hominibus sit lectione interdictum, factum per Walenburchios, ut saltim collectiones illæ meæ Axiomatum & Hypothesium, etiam titulo *indubitatæ apud omnes fidei*, aut *inter omnes Christianos concessorum* in manus illorum devenerint. Ea enim omnium vis est, ut non dubitem, ab æquis & judicandi facultate instructis, cum aliarum falsarum religionum tum Papisticæ etiam fidei vanitatem, illis probe expensis, tandem aliquando haud difficulter posse perspici.

ANIMAVERSIO IV.

*Debeo Conringio)* Minime omnium mihi hoc debetur. Nec enim ego unquam professus sum id, quod, tanquam Protestantium commune dogma, impugnandum Domini Walenburchij susceperunt: eos scilicet qui Reformationem Papisticæ Ecclesiæ instituerunt, ad opus illud vera aliqua & proprie dicta extraordinariâ divina vocatione accitos esse.

ANIMADVERSIO V.

*Si Catholici)* Qui sano judicio sunt non ita existimabunt: eoque isthoc quidem nomine mihi gratias nullas debebunt. Agent tamen illi, spero, & mihi pro collectione illa conscripta, & Dominis Walenburchijs pro eadem in lucem protracta, gratias. Debebunt certè.

ANIMADVERSIO VI.

*Si Lutherani)* Cum nemo Protestantium vere divinam extraordinariam vocationem unquam agnoverit, non

poterunt id quod Walenburchij profitentur nunc primum addiscere: ac proinde nec hi erunt mei debitores.

*ANIMADVERSIO VII.*

*Me in præcedentibus)* Præpostero ordine, quæ subjunguntur aliquot capitibus, à Walenburchijs allata esse, jam tum non semel conquestus sum. Et vero notissimum in vulgus etiam est, prius de adversarij alicujus sententia constare oportere, quam illius confutationem aggrediaris.

## CAPUT X.

1 Calvinianos extraordinariam statuere vocationem, quod ordinariam fingant extinctam.

PRo elucidatione præcedentium, dicam ex ipsis Protestantibus, quomodo fingentes ordinariam vocationem in Ecclesia extinctam, statuerint necessariam esse vocationem extraordinariam.
2 Sadeel Calvinista de legit. voc. Minist. pag. 551. *Si tota (quantum apparebit) Ecclesia corrupta fuerit, atque adeo ipsius corruptionis origo & fons in ipsis pastoribus extiterit, & ab illis ad totum Ecclesiæ corpus dimanarit: si depresso atque abolito Dei cultu idololatria erecta: si verus Sacramentorum usus in vanas cæremonias ac superstitiones commutatus: Si Ecclesiæ disciplina in ambitiosum Principatum & Tyrannidē conversa fuerit: Tunc veram legitimamque successionem simul etiam illic extinctam esse dicendum est, (Quis enim, siquidem propriè loqui velit, mortua doctrina, & vero ministerio sublato, ministerii vim, & veram successionem adhuc vivere & respirare, unquam dixerit) & si qui sint Pastores, qui Episcopi nominentur, eorum ordinem ac seriem à Domino improbari; qui pro sua summa & impervestigabili sapientia, solet, quando visum fuerit, extraordinariis modis rerum ordinem Ecclesiæ restituere.* Et mox: *Ordo Ecclesiæ, qui interruptus fuerat, instauratur.*

Idem Sophis. Turria. loc. 12. pag. 602. *Quemadmodum Lazarus in sepulchro erat tantum nomine Lazarus, ac revera cadaver quatriduanum & fœtidum, verum accedente verbo Dei, & vocante Christo, statim vita rediit, adeo ut re & nomine Lazarus in lucem prodierit: ita primorum illorum doctorum successio & vocatio, quæ per se quidem erat mortua, & ve-*

*& vocationis potius cadaver, quam vera vocatio propter corruptiones Pontificias, vocante Christo & Spiritum suum infundente, cœpit reviviscere & obire proprias functiones, atque adeo longè nobiliores. Ita factum est, ut in Evangelicis ac Reformatis Ecclesiis instauratis fuerit legitimus ordo Ecclesiæ, ex quo Pastores ordinarii inter nos continuâ successione propagantur.*

Champnæus de vocat. ministr. cap. 8. pag. 216. refert ex Fulio Calvinista Anglo hæc verba: *Ex toto corde abominamur, detestamur, & conspuimus Antichristianos vestros olidos & fœtidos ordines.* Item: *toto cœlo erratis, si credatis, alia esse munia Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum vestrorum, quam mere Laicorum.* Refert etiam ex VVitakero: *Nolo vos existimare, nostræ fidei homines tanti facere ordinationes vestras, ut suam vocationem absque ijs illicitam reputent, proinde vobismet-ipsis vestros habeatis ordines.* Item: *Nostrorum hominum vocationem extraordinariam dicimus, quia ordinaria vocatio penitus corrupta erat.*

Calvinus Epist. 190. pag. 451. *Quare totum sacerdotium Papisticum non solum impia est veri ministerii profanatio, sed execrabilis in Christum contumelia: ut quisquis est sacerdos Papalis, donec istum titulum abjecerit, Christi servus esse nequeat. Itaque quamvis indelebilis secundum eos sit character, eradi tamen & deleri necesse est, ut puros habeat sacerdotes Dei Ecclesia.* Et posteà: *Quia autem Papa tyrannide abrupta fuit vera ordinationis series, novo subsidio nunc opus est ad Ecclesiæ instaurationem. Frustra verò superbiunt Papistæ vinculo isto quod ab illis ruptum esse dixi. Quid enim aliud est Papatus, quam à Christo defectio? Qua autem fronte se Apostatæ jactabunt successores? Remedium vero affert Deus ipse, dum idoneos & probos doctores excitat, qui Ecclesiam in deformibus Papatus ruinis jacentem ædificent. Atque omnino extraordinarium fuit hoc munus, quod Dominus nobis injunxit, dum operâ nostrâ ad colligendas Ecclesias usus est. Qui ergo ita præter spem hominum insolitò modo repentè apparuerunt, eorum vocatio à communi regula æstimari non debet. Cœterum hac lege divinitus vocati sunt, ut Ecclesiis rectè compositis, alios Pastores substituant in suum locum.* Vides nostram ordinationem vocationemque à Calvinistis planè rejici, exemplo Calvini sui. Vides Calvinum jactantem, *Omninò extraordinarium fuisse hoc munus, quod Dominus nobis injunxit* jactantem, 3
*hac lege divinitus vocati sunt &c.* Circumspicio, an forte probationem tantæ rei adduceret in Epistola illa ad Regem Poloniæ scri- 4

pta, & nullam invenio, nisi acerbissima maledicta locum probationis obtineant. Tale est, quod habet in Brev. form. conf. fid. pag 123. *Papisticam illam hierarchiam quam vocant, execror ut diabolicam confusionem, idcircò stabilitam, ut Deus ipse despiciatur, & Christiana religio ludibriis & opprobriis sit exposita.* Idem Calvinus De ver. Eccl. Ref. rat. pag. 386. rejecta Ecclesiæ Catholicæ ordinatione & vocatione, dicit: *Jam sum præfatus, nihil esse controversiæ, quin ubicunq; incolumis aut saltem tolerabilis est Ecclesiæ status, expectanda sit ordinaria vocatio. Sed an propterea lex Deo imposita est, quin extra ordinem, qui collapsam dirutamque Ecclesiam restituant, Prophetas ipse excitet suo Spiritu, ac alios ministros? Sed enim, inquiunt, hoc accidere nunquam patietur Ecclesiæ perpetuitas. Ego sanè concedo, fieri nunquam posse ut Ecclesia intercidat. At cum ad Pastores referunt quod de perpetua Ecclesiæ duratione promittitur, in eo vehementer errant. Neque enim si desint Pastores, ideò protinus desinit Ecclesia.* Et mox: *Quæro ubinam legerint, oportere ad finem usque mundi continua serie alios succedere aliis Episcopos. At nos legimus: cum olim sacerdotum, partim inscitiâ & ignavia, partim perfidiâ & scelere, vitiatus esset Dei cultus, inculta jaceret sacrorum administratio, perversa esset pia doctrina, Ecclesia propè concidisset, extraordinario Dei afflatu suscitatos fuisse Prophetas, qui res perditas restituerent. Quid obstabit, quo minus idem nunc quoq; præstet? Et sane ita necesse fuit. Nec verò minus ad nos quàm ad veterem populum, quod habetur apud Ezechielem. 34. & Jer. 3. 15. & 33. 12. pertinet: Deum, ut improborum Pastorum nequitiam ulciscatur, depulsis illis, probos daturum ac fideles, qui secundum ejus voluntatem pascant.* Ex his concludit. *Qui nobis hoc tempore facem prætulerunt, ut à diuturno errore in viam rediremus, Sanctos Dei Prophetas fuisse, testatur præclarum, quod ediderunt, ut verè divinum ministerii sui specimen.*

Vide in hac re plura apud Richardum Smitthæum, *De Auctore & essentia Protestanticæ Ecclesiæ & Religionis.* Antonium Champnæum *De vocatione ministrorum.* Ioanneum Bærleum, *Apologia Protest. pro Rom. Eccl.* Franciscum Veronium *la Discipline des Eglises pretenduës Reformées &c.*

Addo testimonium Confessionis Gallicæ Art. 31. *Credimus nulli fas esse suapte autoritate invadere Ecclesiæ gubernacula, sed legitima electione (quoad ejus fieri potest, & quamdiu Dominus ejus rei potestatem facit) praeunte,*

*praeunte, adsciscì unumquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem; quoniam interdum, ut nostris etiam temporibus, interrupto Ecclesiae statu, necesse fuit nonnullos extraordinem divinitus excitari, qui Ecclesiae ruinas restaurarent.*

*ANMIADVERSIO I.*

*Calvinianos*) Quum nulla hic sit inter Protestantes discordia, facile patet hic ærugo illa Papistica, quæ velit omnia inter nos dissidiorum plena, concors nihil. Nec enim caussam aliam dederis, quur seorsim contra Calvinianos, seorsim contra Lutheranos quos vocant, voluerint hæc Walenburchij disputare.

*ANIMADVERSIO II.*

*Sadeel*) Ab omnibus quos hoc capite adducunt Walenburchij agnosci, aliquam factam esse extraordinariam vocationem eorum qui Ecclesiam à Pontificio fermento depuraverunt, idque in Confessionem Gallicam receptum esse, manifestum est; eoque negaverit nemo. Verùm non hoc erat quod probari debebat, sed agnosci: à Deo immediate & seorsim & aperte vocatos illos Reformatores esse, accepta simul divinitus norma juxta quam institui debuit Ecclesiæ reformatio. Talis enim vocatio demum est vere proprieque sic dicta extraordinaria vocatio divina. Hanc vero Reformatoribus adscriptam, haud sane legas in omnibus illis quæ hinc inde Walenburchij corraserunt. Quibus alia magis luculenta testimonia adferri non posse, secure vel ex eo collegeris, quandoquidem à plurimis jam annis occupati fuerint Domini Walenburchij in Sisyphœo suo saxo, & tamen nihil hactenus potuerint melius hisce jam jam productis invenire. Et vero patet clarissime mens Sadeelis aliorumque, ex ipsamet instituta ab illis disputatione. Papistæ nimirum vulgo asserunt; *Reformatoribus non fuisse fas Ecclesiam depuravare, quandoquidem ad id non fuerint ordinariâ vocatione adsciti.*

Quæ

Quæ illorum aſſertio nititur illa univerſali: *quod ſola ordinaria vocatio ſit legitima ipſo divino jure.* Hiſce Papiſticis pronunciatis oppoſitum eſt: *Reformatoribus fuiſſe fas Eccleſiam depurare :* idque *quandoquidem ſola ordinaria vocatio jure divino non eſt legitima, ſed etiam extraordinaria: hac autem Reformatores vocatos.* Cum Sadeelis itaque aliorumve quos Walenburchij adducunt, propoſitiones ſint contradictoriè oppoſitæ Papiſticis, neceſſum utique eſt eodem ſenſu *vocationis extraordinariæ* vocem accipi oportere, quo propoſitum eſt à Papiſtis *τὸ vocatio ordinaria.* Conſtat autem, Papiſtico more *ordinariam* dici *vocationem*, quæ conformis eſt legibus Eccleſiæ Romanæ; quæ inter alia exigunt, ut nemo legitimus habeatur presbyter ſive Epiſcopus niſi fuerit conſecratus ritu Romano ab Epiſcopo aliquo legitime itidem conſecrato. Itaque adverſa pars quando affirmat, extraordinariam interdum vocationem itidem jure divino eſſe legitimam, atque adeo Extraordinariâ quidem vocatos Reformatores conſentaneâ tamen juri divino; *extraordinariam vocationem* illam demum appellat, quæ à conſveto paſſim & communi Eccleſiæ more diverſa eſt. Hæc verò poteſt utique eſſe, etiamſi Deus ipſe neminem ſeorſim & apertè evocet. Omnis enim quidem iſtiuſmodi à Deo inſtituta vocatio eſt extraordinaria. Si ſimpliciter autem converteris illam propoſitionem, jam ipſis Logicorum tyronibus debebis ludibrium. Divina ejuſmodi vocatio ſpecies quædam eſt extraordinariæ: non niſi una tamen. Dantur vero & plures aliæ. Spero fore, ut Domini Walenburchij, & hiſce & quæ jam tum diſſeruimus in Appendice Animadverſionum ad caput 1. probe expenſis, non amplius miſeris iſtis objectiunculis ſint Proteſtantium cuiquam moleſti.

*ANIMADVERSIO III.*

*Vides Calvinum)* Dicit quidem Calvinus, *à Deo injunctum*

*ctum esse munus reformandi*, & in id *divinitus vocatos esse*. In Confessione quoque Gallica legitur, *extra ordinem divinitus quos excitatos qui Ecclesiæ collapsæ ruinas restaurarent*. Nec tamen illâ proprie dicta Extraordinaria vocatione, *quæ fit à Deo aperte certis personis*, quenquam vocatum esse, vel per somnium ipsis in mentem venit. Divinitus scilicet illi etiam vocati dicuntur, primum qui aliquo omnibus Christianis communi præcepto aperte ad quid agendum adsciti sunt: secundo, qui ad commune illud præceptum exequendum occulta ratione divinitus sunt excitati: ceu itidem supra jam tum docuimus. Utroque modo cum vocati sint Reformatores; lege scilicet divina communi, nonnulli & occulta Spiritus Sancti agitatione, hactenus sunt divina vocatione extraordinarie excitati. Deque tali duntaxat & Calvino & Confessioni sermo est.

*ANIMADVERSIO IV.*

*Circumspicio)* Cum probationes sequente capite ipsi adducant Walenburchij, mirum est illis *circum spicientibus* nihil visum esse.

*ANIMADVERSIO V.*

*Sanctos Dei Prophetas)* Ἀκύρως dicuntur hîc *Prophetæ*, qui nonnihil ad morem veterum Prophetarum sese gesserunt. Nec profecto puto vel in mentem venisse Calvino, ut vere & proprie dictis Prophetis Reformatores æquaret. Non tacuissent sane hoc ipsum Domini Walenburchij, præsertim instituti ab illis quos paulo post videre nos jubent.

## CAPUT XI.

## Considerantur Probationes Calvinianorum.

Etiamsi in præcedentibus Calvinianorum aliquas probationes discusserimus quia tamen revidendo præallegatos Autores nonnullæ se exhibuerunt novæ, indignum foret, si eas non separatim consideremus; quod plurimum ponderis ijs inesse isti vendirent,

1 dicent. Sadeel, cum asseruisset extraordinariam vocationem tract. de legit. vocat: ministr. pag. 551. addit: *Si quis hujus rei confirmationem requiret, multa exempla multasq; rationes suppeditabit Scriptura quæ tollent omnem dubitationem.* Producit autem exemplum rejectionis Heli à Sacerdotio ex 1. Sam. 2. Extraordinariam vocationem Eliæ, qui non erat ex ordine Sacerdotum. 1. Reg. 16. Rejectionem Silo & templi Iudaici. Ier. 7. Addit textus Ezech. 44. & Os. 4. Dicit Christum præter ordinem excitasse, qui non erant ex numero sacerdotum. His relatis, tanquam re bene gesta concludit pag. 552. *Quare maneat hoc certißimis rationibus, expressisque Scripturæ testimoniis exemplisque ita obvallatum, ut rescindi nullo modo possit: Tunc Deum uti extraordinaria ratione ad Ecclesiam instaurandam quando illa videtur omninò corruisse.*

Si examinemus istas probationes ad axiomata & hypotheses
2 Conringij, nihil in illis erit probabilitatis. In veteri testamento fuisse Sacerdotium ordinarium penes Aaronem, & posteros ejus,
3 nulla est controversia. Translatum fuisse ministerium templi præcipuum ab Heli ad aliam stirpem ex Aarone descendentem, in confesso est. Sed non ideo instituta est nova vocatio, sive ordinaria, sive extraordinaria. Eliam esse extra ordinem vocatum; nullus dubitat: sed ita vocatum esse, ut abolita ordinaria vocatione, successores post se jure ordinario relinqueret, nullus hactenus asseruit. Dominus rejecit Silo, & templum Iudaicum, non tamen rejecit Sacerdotium ab Aaronis progenie, nisi adveniente Christo: *Translato Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat. Hebr. 7. 12.* Deus in Veteri Testamento rejecit aliquos sacerdotes à ministerio, sed non ideo instituit novum ministerium ordinarium extra familiam Aaronis. Calviniani autem volunt, in Ecclesia Christi extinctum fuisse ministerium ordinarium, novumque ex-
4 tra ordinem institutum; Cujus rei nullum valent ex scripturis Veteris testamenti producere exemplum. Christus solos Apostolos vo-
5 cavit extra ordinē, qui successores jure ordinario post se relinquerent, quando translato sacerdotio necesse erat & legis translationem fieri. Num Scriptura alicui dicit: rursus transferendum esse sacerdotium, & nonnullos extra ordinem à Deo excitandos, à quibus successione ordinaria nova vocatio derivetur? Sed bene est, quando Sa-

do Sadeel concludit: *Tunc Deum uti extraordinaria ratione ad Eccle-
siam instaurandam, quum illa videretur omnino corruisse.* Ponamus Ec-
clesiam multis abusibus scatuisse: ponamus necessariam fuisse ex-
traordinariam rationem ad eam emundandam: ponamus necessa-
rium fuisse, ut aliqui extra ordinem adhoc excitarentur: an ideo
constat, hos, & illos fuisse extra ordinem vocatos. & quidem non 6
more Prophetarum, qui in extraordinario munere successoribus
caruère, sed ut essent radices novæ vocationis ordinariæ? Quis 7
prudens ferat sibi talia figmenta obtrudi, ubi liquidæ probationes
sunt necessariæ?

Idem Sadeel loc. cit. pag. 553. desumit probationem ex Novo 8
testamento: *Objiciunt Adversarij, ab adventu Christi nullas amplius
nec fuisse nec fore vocationes extraordinarias ad restituendam Ec-
clesiam. Nos autem petimus illius sententiæ aliquam confirmationem. Ha-
bemus enim certa Scripturæ exempla quibus nitimur, &c. Deinde, cita-
mus testem Joannem, qui in Apocalypsi cap. 11. & 14. agens de generali cor-
ruptione quæ futura erat, prædicit Deum excitaturum testes, qui prophe-
tent adversus Ecclesiæ corruptores & bestiam ascendentem ex abysso: &
Angelos Evangelizaturos incolis terræ, ut uni Deo gloriam tribuant, re-
jectis Babylonicis erroribus: quibus significare voluit, Deum usurum esse
extraordinaria ratione in instauranda Ecclesia, nimirum excitatis qui-
busdam sanctis hominibus, qui pura Evangelij prædicatione restituendæ
Ecclesiæ fideliter incumberent. Proferimus etiam locupletissimum illud
Apostoli 2. Thess. 2. testimonium, qui postquam prædixit futuram esse ge-
neralem apostasiam, subjungit fore, ut filium illum perditionis Dominus
conficiat spiritu oris sui. Elegans sanè locus, & qui si rectè expendatur, to-
tam hanc quæstionem definit. Ex eo enim duo illa consequuntur, in quorum
tractatione jam pridem versamur. Unum, in generali illa Ecclesiæ corru-
ptione successionem visibilem nullam superesse, ut apostasias nomen liquido
confirmat, quod successioni contrarium est. Alterum, instaurandam esse
Ecclesiam pura Evangelij prædicatione, ut apparet ex his verbis:* quem
Dominus conficiet Spiritu oris sui; *cujus prædicationis rationem ex-
traordinariam fore, vel ipsa verba satis indicant.* &c. *His igitur expressis
Scripturæ locis extraordinariæ vocationes nituntur.*

Resp. Non tracto in præsenti hanc quæstionem; *An sub Novo
testamento fuerint, vel futuræ sint extraordinariæ vocationes ad restituen-*

9 *dam Ecclesiam?* Quia tamen nos ad eam trahit Sadeel, dicimus, in
— scripturis prædictam esse continuam Pastorum successionem usque
10 ad finem mundi. Docet hoc Christus Dominus Matth. 28. v. 18,
*Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes
gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, docen-
tes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum
11 sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hic loquitur
Christus Apostolis suis, ut prædicatoribus & pastoribus, quemad-
modum ex ipso textu apertè constat. Promittit Christus se A-
postolis suis, ut prædicatoribus & pastoribus, omnibus diebus ad-
futurum, usque ad finalem suum adventum; quod sine perpetua
assistentia fieri non potest, omnemque interruptionem excludit.
Ipsius Ecclesiæ Christianæ perpetuitatem nobiscum agnoscunt
12 Calvinistæ. Perpetuitatem Pastorum negat promissam Calvinus:
*Cum ad Pastores referunt, quod de perpetua Ecclesiæ duratione promittitur,
in eo vehementer errant.* Quomodo ad Pastores referri possit, & de-
beat, quod de Ecclesiæ duratione promittitur, non est hujus loci
explicare. Hoc dicimus, æquè expresse, æquè manifestè, in Scri-
pturis promissam esse perpetuam durationem Pastorum, ac perpe-
13 tuam durationem Ecclesiæ. Expresse dictum est, manifestè di-
ctum est à Domino, Ecclesiæ prædicatoribus & Pastoribus: *Ecce
ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Et
audet adhuc dicere Calvinus: *Quæro ubinam legerint, oportere ad fi-
nem usque mundi, continua serie aliis succedere alios Episcopos.* Ibi hoc
legimus, ubi veritas hoc dixit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus
diebus usque ad consummationem seculi.* Non eget interprete,
quod apertè, & manifestè scriptum est. Sicut non eget interprete
14 quod in eandem sententiam scripsit Apostolus Eph. 4. 12. *Alios
autem dedit Pastores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in
ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei,
& agnitionis filij Dei.* Si hæc clare & manifestè dicta nolint Calvi-
nistæ pro continua in Ecclesia Christi Pastorum successione, pro-
mant nobis magis expressa, magis dilucida loca pro perpetua Ec-
clesiæ duratione: & ipse conatus arguet eorum vanitatem, qui
sibi persvadent à suo arbitrio pendere, quid in Scripturis divinis
expresse & manifeste scriptum, vel non scriptum sit, ut cum Cal-
vino.

vino suo securè asserant: *Neque enim si desint Pastores, ideo protinus desinit Ecclesia*; indeque fingant missionem extraordinariam.

His positis, rectè dicunt Catholici, nec fuisse, nec fore missiones extraordinarias ab adventu Christi ad restituendam Ecclesiam. 15
Non dicunt Catholici ad hanc rem, non fore vocationes 16
extraordinarias sub Novo testamento, quibus Deus Ecclesiæ suæ
succurrat afflictæ, quales fuisse sub Veteri testamento nemo negat:
quis enim dicat, Deum, qui id potest non facturum? Hoc dicunt
Catholici, promissa in verbo Dei perpetuitate vocationis ordinariæ, non magis in Novo, quam in Veteri testamento secuturam
vocationem extraordinariam, à qua, tanquam à radice nova vo- 17
catio tanquam ordinaria derivetur. Sub Veteri testamento, immediatè constituto Aarone, voluit Deus ordinaria via sacerdo- 18
tium propagari, usque ad translationem ipsius sacerdotij tempore Messiæ futuram. Sub Novo Testamento, immediate constitutis Apostolis, voluit Deus ordinaria via ministerium Ecclesiæ 19
suæ continuari, usque ad consummationem seculi. Non expectamus alium Messiam, ut novum instituatur Sacerdotium. 20

Quid Sadeel? *Citamus Testem Joannem, qui in Apoc. cap. 11. & 14. agens de generali corruptione quæ futura erat, prædicit Deum excitaturum testes; qui Prophetent adversus Ecclesiæ corruptores; &c.* Demus,
eo loco agi de extraordinaria vocatione; non ideo asserendum 21
est, ordinariam vocationem, adversus apertissimas Scripturas, intercidisse; non ideo somniandum est, extraordinariam vocationem esse expectandam, à qua tanquam à novo fonte, nova vocatio ordinaria prosiliat. Multo minus comminiscendum est, 22
vocationem ejusmodi extraordinariam sine ulla umbra probationis ad Zwinglium, Calvinumque pertinere, quam omnes quarumcunq; sectarum auctores æqua facilitate temeritatis ad se trahere posse, vix ipsa negaverit impudentia. Si dicas, hoc tantum velle Sadeel, ut doceat extraordinariam vocationem esse sub Novo
Testamento promissam. Respondetur id nihil ad rem facere, uti 23
jam ostensum: & Sadeel concludere ex ijs locis interitum vocationis ordinariæ, adversus evidentissimas scripturas; quantumvis in istis locis nullo verbo vel in speciem insinuetur, quod sine fundamento affirmat.

Alter locus ex 2. Theſſ. 2. nihilo melius allegatur, Apoſtolus, inquit, *prædixit futuram eſſe generalem apoſtaſiam.* Sed non lego apud Apoſtolum, futuram eſſe generalem Apoſtaſiam. Non credi-
24 mus, quia ipſe id aſſerit? Quid intelligit *per generalem Apoſtaſiam*? Vultne interire Eccleſiam & omnem vocationem ordinariam? Si affirmet, redeat in gratiam cum ſuo Calvino, & fratribus ſuis Calviniſtis, perpetuitatem Eccleſiæ agnoſcentibus: redeat in gratiam cum Spiritu Sancto perpetuitatem Eccleſiæ in Scripturis tam apertè tam multis modis commendante, ut exceptis paucis protervis, etiam infenſiſſimi Eccleſiæ hoſtes eam agnoverint. Si dicat Sadeel, *Generalem Apoſtaſiam* eſſe intelligendam, de interitu vocationis ordinariæ, non eſſe intelligendam de interitu Ecclnſiæ: legat nobis eam fictionem in ſcripturis ſacris, quarum communis apud nos eſt authoritas. Nos legimus prædictam, promiſſamque eſſe perpetuitatem Eccleſiæ, & vocationis ordinariæ. Cur potius credamus, Deum non ſervaſſe quod promiſit pro conſervatione vocationis ordinariæ, quam Deum non ſervaſſe quod promiſit pro conſervatione Eccleſiæ? Poteſtne ullus Scripturæ textus produci, ubi illud inſinuetur? Mira eſt iſtorum hominum in aſſerendo confidentia. Deus aperte promiſit & expreſsè, vocationis ordinariæ perpetuitatem; & illi volunt perſvaſum Chriſtianis, intra hos mille & ſexcentos annos, vocationem ordinariam plus mille annis funditus interiiſſe, quamvis id in Scripturis nec apertè, nec obſcurè, nec expreſſe, nec implicitè fuerit prædictum. Quî factum eſt, ut ordinaria vocatio, quæ tantillo tempore erat duratura, tam illucidis & illius tribus teſtimonijs inſtitueretur, tam manifeſtis promisſionibus vallaretur, & tam horrenda, tamque diuturna vocationis ordinariæ ruina tanto ſilentio tegeretur? Agnoſco igitur, in Scripturis prædictam eſſe apoſtaſiam ſeu defectionem: agnoſco, prædictum eſſe filium perditionis: agnoſco, eum conficiendum eſſe Spiritu oris Domini; ſi per ſpiritum oris Domini prædicationem intelligamus, poterit
25 id Deus præſtare per extraordinariè vocatos, ſed aſſerere, tunc *ſucceſſionem nullam viſibilem ſupereſſe*; hoc eſt contra Scripturam loqui: aſſerere, tunc fore vocationem extraordinariam, à qua ordinaria vocatio novam ſumat originem; hoc eſt contra, & præter ſcripturam figmenta ſua pro verbo Dei venditare. Sequi-

Sequitur ut consideremus probationem Calvini ex Ezech. 34. 2. & Ier. 3. 15. & 33. 12. Dicit enim: *Nec minus ad nos, quam ad veterem populum quod habetur apud Ezechielem & Jeremiam pertinet. Deum, ut improborum Pastorum nequitiam ulciscatur, illis depulsis, probos daturum ac fideles, qui secundum ejus voluntatem pascant.*

Resp. Legimus Ezech. 34. 2. *Væ vobis Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, &c.* Atque hinc habemus, fuisse tunc improbos Pastores, quod rectè asserit Calvinus. Sed non legimus Ezech. 34. 26
Deum extra ordinem daturum fideles Pastores, qui secundum voluntatem ejus pascant, & à quibus nova vocatio ordinaria derivetur, quod tamen est in quæstione. Hoc legimus Ezech. 34. 23. *Et suscitabo super eos Pastorem unum, qui pascat eas.* Et v. 28. *Et non erunt ultra in rapinam in gentibus*, &c. Hæc dici de Christo, & de Ecclesia Christi, nulla est inter Christianos controversia. Iudicent ipsi Calvinistæ, an in isto loco vel umbra sit pro extraordinaria vocatione Pastorum, unde ordinaria sumat initium. Loquitur Propheta de *Pastore uno*, non loquitur de Pastoribus multis, extra ordinem vocandis. An exspectamus sub Novo Testamento novum Messiam extra ordinem vocatum, qui oves Domini secundum ejus voluntatem pascat? si novum Messiam non exspectamus, nonnè miserè decipiuntur homines, quibus à Calvino persuadetur, Prophetam loqui de Pastoribus extra ordinem excitandis, à quibus nova ordinaria vocatio trahat originem?

In altero textu Ier. 3. 15. legitur: *Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Si velit Calvinus, hunc textum agere de extraordinaria vocatione post tempus Ieremiæ sub Veteri Testamento futurâ, nihil ad rem fuerit. Sicut enim non negamus fuisse vocationes extraordinarias sub Veteri Testamento; ita ex eo textu non probatur, prædictam fuisse extraordinariam vocationem, ex qua nova vocatio ordinaria prodiret, quod solum quæritur. Sin autem Calvinus, prædictam fuisse vocationem extraordinariam, quæ tempore Messiæ erat futura cum successione ordinaria; necesse est, ut fingat alterius Messiæ adventum, 27
de quo Propheta paria prænunciaverit. Quod si erubescat alium comminisci Messiam, erubescat etiam fingere sub Novo Testamento extraordinariam missionem, à qua nova ordinaria missio profluat.

fluat

fluat, postquam Prophetæ vaticinium in Christo reperitur impletum.

In tertio textu Ier. 33. 12. legitur: *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc erit in loco isto deserto absque jumento, & in cunctis Civitatibus ejus, habitaculum Pastorum accubantium gregum.* Hæc retulisse sufficit; ne-
28 que enim est ulla spes probationis.

Superest, ut consideremus textus Gallicæ Confessionis, ne fortè
29 conquerantur validiora loca fuisse neglecta. In Act. 31. duo ponunt: vocationem ordinariam, & vocationem extraordinariam. Primum locum allegant Matth. 28. v. 10. 16. Ibi autem nihil est, quod eò faciat. Voluerunt fortè allegare Matth. 28. v. 20. quod facit pro vocatione ordinaria. Secundum allegant Marc. 16. 15. Qui similiter agit de vocatione Apostolorum. Tertius locus Ioan. 15. 16. est similis. Quartus Act. 1. 21. ordinariam vocationem concernit. Quintus Rom. 10. 15. est similis. Sextus Tit. 1. 5. eodem se habet modo. Septimus Gal. 1. 15. agit de vocatione extraordinaria S. Pauli. Octavus, 1. Tim. 3. 78 rursus agit de vocatione ordinaria.

30 Rogo quemlibet lectorem, ut consideret, an in ullo dictorum locorum S. Scripturæ sit vel minima umbra, unde probetur, quod profitentur se credere: *Interdum, ut nostris etiam temporibus, interrupto Ecclesiæ statu, necesse fuit, nonnullos extra ordinem divinitus exci-*
31 *tari, qui Ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent.* Vnde probant, collapsum fuisse Ecclesiæ ministerium interruptumque esse ejus statum? Vnde probant nonnullos extra ordinem esse divinitus excitatos? Vnde probant, quinam sint illi extra ordinem divinitus excitati? Nihil horum probant; nihil conantur probare; & tamen qui profitentur, se nihil velle credere, sine apertis S. Scripturæ testimonijs, tam horrendum figmentum pro articulo fidei
32 habent.

### *ANIMADVERSIO I.*

*Sadeel*) Ex omnibus quæ hic adducuntur liquido apparet, nihil aliud voluisse Sadeelem probare, quàm interdum opus esse extraordinaria aliqua vocatione ad restaurandum collapsum divinium cultum, eamque divinis institutis neu-

tiquam

tiquam adversari. Id quod observandum ideo est, quoniam Walenburchij statum controversiæ longe aliter formant, ut Sadeëlem non probasse quod erat probandum, possint vincere. Adeo vero firmiter thesin propositam probavit hic Sadeël, ut ipsi Walenburchij paulo post idem concedant atque affirment disertis verbis: & adducta à Sadeële loca, id quod Sadeël assertum voluit, probare largiantur.

### ANIMADVERSIO II.

*Si examinemus)* Ad mea axiomata & hypotheses examinari illa Sadeëlis nequeunt: quoniam ad illa nihil vel certe perparum faciunt. Frustra itaque & abs re est illa hic repetita Walenburchiorum jactitatio. Et vero ne ipsi quidem illi Sadeelitica illa ad mea axiomata & hypotheses exigunt, sed ad plane alia.

### ANIMADVERSIO III.

*Translatum fuisse)* In omnibus suis responsionibus concedunt Walenburchij, factas interdum Veteri durante Fœdere vocationes extraordinarias: tantum negant, ita factas ut Sacerdotium Aronicum tolleretur. Atqui prius duntaxat voluit Sadeel probare: quandoquidem ipsius ætate hoc potissimum ab Adversarijs Pontificijs improbaretur: eoque satis utique fecit suo officio, & propositam thesin recte defendit.

### ANIMAVERSIO IV.

*Cujus rei nullum)* Fateor ex V. Testamento, Sacerdotalis muneris novam seriem instituere licitum esse, probari non posse. Salva nempe Lege Mosaicâ non poterat Pontifex nisi Aronides nec alius Sacerdos nisi Levita constitui: quoniam illa lege ad solam Aronis & Levi posteritatem Sacerdotale omne munus erat adstrictum. Atque adeo hoc est quod Hebr. VII. dicitur: *Translato* ex Aronis familia *sacerdotio*, per Legem scil. definito, *necesse est ut & Legis translatio*, sive

abrogatio, *fiat*. Verum nec Sadeel nec Calvinus in id loca illa Vet. Teſtamenti adduxerant.

Obſervandum vero hic venit, aliud eſſe munus Sacerdotale, aliud munus docendi verbum divinum: & diverſa admodum ratione utrumque ſeſe habuiſſe, durante quoque Veteri fœdere. Sacerdotale ſcilicet fuit occupatum in ſacrificijs, demandatumque Lege Moſaica divina uni tribui Leviticæ & cumprimis Aroni ejuſque poſteritati. Doctrinale autem ſive verbi divini docendi munus fuit promiſcue omni populo Iſraëlitico Lege injunctum, & ex parte prudentiæ rectorum populi conſtitui permiſſum. Deuteronomij ſcilicet quarti capitis v. 10. & ſexti verſ. 7. diſerte omnes patresfamilias juſſi ſunt Legis præcepta docere filios. Idem paſſim inculcatur. Nuſquam vero in Lege reperias vetitum, ſingulatim nonnullis docendæ Legis munus committere: multo minus Lege eſſe conſtitutum, ut ſolis Levitis fas ſit Legem populo interpretari, aut quod idem eſt verbum Dei populum docere. Jam vero de quo Lex nihil definivit, id legibus poſitivis humanis licuit utiq; in uſum populi componere; ac proinde & arbitrij fuit Rectorum populi Iſraëlitici circa docendi munus illud ordinare, quod ex re fore viſum fuit. Et vero hoc ipſum ita fuiſſe tum obſervatum, palam eſt. Ad docendum ſcilicet Synagogas eſſe in populo conſtitutas certum eſt, & tamen de illis in Lege Moſaica diſerte nihil fuit mandatum. Non ego nunc agitabo illam quæ inter eruditos verſatur controverſiam, de origine Synagogarum, alijs ſcilicet illam in Eſdræ demum tempora rejicientibus, alijs longe altiore exordio repetentibus: quæ poſterior ſententia mihi, fateor, præplacet: id certum eſt, poſt ſolutam Babylonicam captivitatem in frequente uſu fuiſſe, uſque ad populi Iſraelitici excidium: idque inſtitutum ab ipſo Chriſto & Apoſtolis, dum non dubitarunt in Synagogis

gogis illis docere, eſſe probatum. Conſtat etiam, ut aliàs ſimpliciter omnis populus docere Legem liberos & familiam ſuam juſſus eſt, ita in Synagogis non Leviticos ſacerdotes ſolos, ſed ſimpliciter γραμματεῖς aut νομοδιδασκάλους docuiſſe, illos vero fuiſſe adſumptos nullo tribuum habito diſcrimine perinde uti etiam fit hodie. Et vero uſu edocti erant, labia ſacerdotis oportere quidem cuſtodire doctrinam, Levitas autem ſæpenumero deflexiſſe à via recta, ut eſt Malachiæ II. verſ. 7. & 8. eoque in Synagogis ex alijs quoque tribubus nunquam non ad docendam legem admiſſi ſunt. Igitur fuit quidem Lege olim Moſaica conſtituta certa ſummi Pontificatus aut etiam ſimpliciter Sacerdotalis ordinis ſucceſſio quædam: at Doctrinalis ordinis nulla omnino certa ſucceſſio fuit. Eòque non Deus tantum miſit Prophetas ex omni tribuum genere quotieſcunq; vellet: ſed etiam ipſemet populus prout expedire viſum qui docerent conſtituit, electis aptiſſimis quibuſq;, & Synagogis collapſis de integro excitatis. Paulo ſane ante Joſaphatum & Joſiam Reges, ut & ante Eſdram videntur Synagogæ nullæ fuiſſe, vel nullos in populo ſuperfuiſſe qui Legem docerent: atque ita plane de novo neceſſum eſt inſtitutas tum eſſe ſynagogas. Phariſaicæ certe aut Sadducaicæ Synagogæ cum hæreſium illarum primis magiſtris indubie ortæ ſunt.

Ex quibus manifeſtum, quantum Domini Walenburchij fallantur & fallant alios: dum non obſervantes diſcrimen inter Sacerdotale & Doctrinale munus, ita loquuntur, quaſi Veteri durante fœdere, ut Sacerdotalis fuit quidam certus ordo, ita & certum Doctrinalem, imò unum eundemque fuiſſe: neque tum alios, quam ſolis Sacerdotibus ordinariè & Prophetis extra ordinem miſſis, docere licuiſſe. Nihil enim nunc dicam quod & Prophetis fuerint ſuæ ſcholæ, & in hiſce inſtituti diſcipuli, *Filii Prophetarum* dicti; quos,

tametsi ipsi Prophetæ non fuerint, docuisse tamen alios verbum divinum, saltim per est verisimile.

Igitur ex Veteris quidem Testamenti scripturâ ostendi non potest, si hodieque sit in Novo Testamento Sacerdotium aliquod ordinarium, illud aboleri posse & novum institui. Exemplo tamen eorum quæ durante illo Veteri Fœdere sunt facta, licet ostendere, quod non minus nunc quàm olim liceat, abolere veterem & hactenus ordinarium Doctorum aut Pastorum Ecclesiæ ordinem, libereq; novum instituere si id exigat Ecclesiæ necessitas aut commodum. Vere Sacerdotalem autem certum ordinem Ecclesia Novi Testamenti non amplius habet: sed omnes omnino fideles facti sunt à Deo Sacerdotes suo quodam modo. Ac proinde quæ de Sacerdotali ordine V. Testamenti fuerunt constituta, ad Ecclesiam nihil attinent.

### *ANIMADVERSIO V.*

*Christus solos)* Christum extraordinarie vocasse Apostolos in successionem sui Sacerdotij, & injunxisse ut tantum jure *Ordinario* itidem successores sibi eligerent, nullo valent Walenburchij ex scripturis vel Veteris vel Novi Testamenti testimonio probare. Atqui in Novi Testamenti scriptura deberet hoc æque perspicue esse propositum, quam in Veteri est mandata illa Aronici Sacerdotij perpetua successio. Ex adverso in facili mihi est, perspicuis utriusque Fœderis dictis asserere, Christum ipsum successisse in Aronici Pontificatus locum, & Christi sacerdotium non admittere successorem ullum: atque adeo in Novo Testamento nec potuisse constitui, nec constitutam esse ullam successionem Sacerdotalem ad modum Aronici Pontificij. Et quidem ipsummet Christum, abrogato Aronico, sese autem ipso Sacerdote constituto, novum Sacerdotium incepisse, non arbitror vel à Walenburchijs dubitari. De Christo autem Sacerdote novo

jam

jam in Psalmis dictum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Repetitum idem Hebræor. VII. & illustratum, ostenso luculente Sacerdotium Christi ab Aronico in eo etiam differre: quod *illi* Aronici *quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, Hic* (Christus) *autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habeat Sacerdotium.* Doleo equidem, adeo occæcatos animo esse Dominos Walenburchios, ut quæ versiculo duodecimo septimi ad Hebræos capitis leguntur intelligere potuerint, hæc autem non minus perspicua videre hactenus non potuerint. Quid enim potuit clarius dici cum de perpetuo & successorem non patiente Christi Sacerdotio, tum simul de necessitate Aronicæ successionis ejusque caussa?

Apostolos tamen etiam suo quodam modo fuisse Sacerdotes, & ab iis alios factos esse Sacerdotes, idque Sacerdotium perrennare in Ecclesia oportere, neutiquam diffiteor. Utique enim & Apostoli immolarunt Deo victimas omnes Novi Testamenti, quæcunque scilicet victimarum nomine dignata est ipsa Apostolica Scriptura. Cujusmodi est θυσία καὶ λειτουργία πίστεως, beneficentia in pauperes, quæ ὀσμὴ εὐωδίας & θυσία δεκτὴ καὶ εὐάρεστος τῷ θεῷ ipsi Apostolo Paulo audit, laus divini Numinis quod est verè sacrificium laudis, & oratio ad Deum fusa. Iidem frequentissime solemnem memoriam Dominici sacrificij in cruce peracti symbolis panis & vini instituêre. Uno verbo: sacros ritus omnes Novi Testamenti celebraverunt; atque adeo hactenus sane etiam ipsi fuerunt Sacerdotes Dei. Nihil etiam non horum ad consummationem usque seculi in Ecclesia agendum, docuerunt. Quod tamen Apostoli certis duntaxat ex fidelium multitudine, & quidem solis ijs qui in id ordinarie sint electi, ista agendi facultatem concesserint, hoc profecto adversatur ipsis illorum superstitibus scriptis & secutis Ecclesiæ primitivæ moribus. Omnibus scilicet Christi-

anis, saltim ea quæ diserte sacrificiorum nomine appellavere, agere mandaverunt. Eoque universi Christiani audiunt ipsis *regale sacerdotium*, & *Sacerdotes*. Eucharistiæ quoque illud commemorativum sacrificium omnibus est *mandatum à Domino* (ut loquitur Tertullianus) similiterq; repetitum ab Apostolis. Qua de re cum jam tum in Appendice ad caput primum multa à nobis sint dicta, non est quare denuo illi probando nunc verba faciamus. Igitur quod certi quidam, moderandis illis sacrificijs Novi Testamenti, in Ecclesia vacare debeant, est quidem itidem ex instituto Apostolico: attamen ut ad solos ordinarios illos hoc munus ab illis sit restrictum procul est. Neque vero quod communiter fas est agere omnibus, id ut omnium nomine agatur à paucis, nisi de omnium consensu & commissione fieri potest. Ministerio igitur duntaxat, vel ut loquitur Gennadius l. de Ecclesiasticis dogmatib. cap. 30. *sanctarum plebium mandata sibimet legatione* fungitur clerus: Populo autem Christiano cujuslibet Ecclesiæ suum manet supremum jus Sacerdotale: perinde ut in Democratijs populo competit summa potestas, magistratus autem populi sunt ministri. Jam vero Ecclesiasticus populus non constituit profecto, ut nunquam nisi solus ordinarie vocatus clerus sacrorum peragendorum habeat potestatem. Vtque sic quondam universus primitivæ Ecclesiæ populus constituisset, cum statutum illud haberet tantum vim legis positivæ, non potuisset tamen obstringere sua isthac lege secuturæ ætatis Ecclesias. Præsertim cum salus Ecclesiæ suprema sit & æterna lex: interesse autem salutis possit, ut interdum pristina ordinaria vocatione abolita, nova prorsus instituatur.

ANIMADVERSIO VI.

*An ideo)* Non quidem inde constat, hos aut illos vocatos ad id: nec Sadeel verò nec alius quisquam ita erat argumen-

gumentatus. Sed probato, interdum extra ordinem licere illi qui id præstare valet suscipere provinciam reformandi corruptum Ecclesiæ statum, (quod unicum Sadeëli fuit demonstrandum) tum alijs argumentis opus fuerit, ut *primum* probetur Ecclesiæ statum adeo esse corruptum, ut ab ordinarijs ejus Episcopis & Presbyteris nullum remedium potuerit exspectari, ostendatur *deinceps*, illos qui Reformationem aggressi sunt satis à peritia veri rectiq; divini cultus fuisse instructos, quod fit ostenso illos in doctrina ejusque propagatione parum vel nihil impegisse.

*ANIMADVERSIO VII.*

*Quis prudens)* Nemo sanè id fecerit. At nec prudens aliquis vel bonus ferat, talia affingi viris doctis & probis per calumniam.

*ANIMADVERSIO IIX.*

*Objiciunt adversarij)* Verba Sadeëlis iterum manifeste indicant, quam thesin oppugnandam suscipiat, & qualis contradictoria illi fuerit defendenda.

*ANIMADVERSIO IX.*

*Dicimus, in Scripturis)* Non satis perspicue exprimunt heic Walenburchij id quod revera sentiunt & profitentur. Debuissent dicere: *In Scripturis prædictam esse continuam ordinariam Pastorum successionem usq; ad finem mundi.* Possit enim continua manere successio, etsi interdum novus ordo inciperet vetere abolito. Quemadmodum regna manent perpetua, regijs licet familijs etiam sæpius plane extinctis & novis subortis: imo licet etiam veteres & ordinariæ hactenus leges succedendi interdum turbentur, & plane novæ instituantur. Cæterum videamus, quomodo suam illam thesin probent Domini Walenburchij.

*ANIMADVERSIO X.*

*Dicit hoc)* Fortassis fuerit pretium operæ Walenburchianam

chianam hanc ἀπόδειξιν paulo exactius examinare. Principio igitur in memoriam revocanda sunt, quæ ipsi Walenburchij indubitatæ apud omnes fidei esse confessi sunt, à me capite secundo recitata Axiomata, secundum, tertium, quartum, quintum, sextum. Quorum summa est: *Quæ arbitrij sunt divini illa nisi Deo revelante sciri non posse*, & *Quæ Deus non perspicue revelavit illa vim legis non obtinere*. Extra controversiam porro jam item colloco: Utrum Ecclesia regi semper debeat à continua quadam & ordinaria Pastorum successione nec ne, hoc meri esse arbitrij divini: eoque nihil hujus sciri, nisi Deo revelante. Ut &: si Deus non perspicue revelaverit, semper solam ordinariam continuam successionem Pastorum in Ecclesia observandam, à Deo quoque non esse id lege constitutum, ac proinde nec extra ordinem inceptam novam successionem esse à Deo vetitam, modò nihil aliud sit in culpa. Nullus dubito, Dominos etiam Walenburchios saltem hactenus mihi assensuros.

Iidem indubie admittent hoc quoque axioma: *Perspicua oratio est, cujus sensus ab iis quorum interest facile intelligi potest: Quæ autem ab omnibus vel plerisque, post impensum studium, vel diversas accipit interpretationes, vel unam quidem plane tamen aliam ab instituto dicentis, illa oratio non est perspicua.* Admittent indubie inquam etiam hoc Walenburchij, cum itidem sit axioma indubitatæ apud omnes fidei, & demonstratu facillimum, si fuerit opus.

Cæterum hisce positis jam tum actum est & conclamatum de Walenburchica usque adeo hic jactata demonstratione. Falsissimum scilicet est, verbis illis Christi quæ adducuntur, constitutam esse legem de perpetua aliqua ordinaria Pastorum Ecclesiæ successione. Argumento est, quandoquidem illum esse verborum istorum sensum, neutiquam est perspicuum. Probo posterius: quoniam nemo

nemo veterum Christianorum verba illa accepit de perpetua aliqua ordinaria futura Pastorum Ecclesiæ successione quantum quidem ex superstitibus monumentis colligere est. Maldonatus sane ad verba illa: *usq; ad consummationem seculi* ita quidem commentatur: *Indicat, se non cum solis* Apostolis, *sed cum omnibus, qui in eorum locum successuri erant, loqui, quos etiam Apostolos futuros esse significat. Nec enim undecim illi, quibuscum loquebatur, usq; ad consummationem seculi victuri erant, ut Augustinus l. 6. de Genesi ad literam cap. 8. & Theophilactus in hujus loci commentario annotaverunt.* At verò etsi Augustinus & Theophylactus ad solos Apostolos non pertinere hæc Christi verba itidem affirmaverint, de perpetua tamen ordinaria successione Pastorum, ne verbulum quidem apud eos legas. Ut nec illud Maldonati: Christum locutum esse *cum omnibus qui in Apostolorum locum successuri erant, quos etiam Apostolos futuros esse significatum sit.* Nova hæc est interpretatio, olim nunquam audita. Adducam unius Theophylacti verba qualia recte vertit Oecolampadius: *Non solum autem hoc Apostolis est pollicitus eventurum, sed simpliciter discipulis suis omnibus: neq; enim Apostoli usq; ad finem mundi victuri erant, unde & nobis & his qui post nos erunt promisit hoc.* Chrysostomus ipse quem solet Theophylactus sequi, ita scripserat: *Non cum illis tantum se futurum esse dixit, sed & cum omnibus qui post eos credituri essent: neq; enim Apostoli usq; ad consummationem seculi futuri erant, sed tanquam uni corpori loquitur fidelibus.* Prolixiora sunt quibus hæc verba itidem ad omnes fideles Salvianus *l. 2. de gubern. Dei* Cyrillus Alexandr. *l. 7. de Trinit.* & alij trahunt, quàm ut à me brevitatis studioso commode huc adferantur. Sed & universim, quotquot veterum non ad solos Apostolos isthæc pertinere voluerunt, illi promissum hoc Christi omnibus fidelibus commune esse docuere, de solis Pasto-

ribus Ecclesiæ accepit nemo; multo minus alicui hinc perpetua ordinaria pastorum successio in mentem venit Fac igitur significare hic Christum voluisse, perpetuam aliquam futuram successionem ordinariam, saltim verbis perspicuis id factum non est, adeoque lex aliqua talis hîc non est lata.

*ANIMADVERSIO XI.*

*Hic loquitur*) Agnosco loqui Christum hic *Apostolis suis ut prædicatoribus & pastoribus*. Agnosco promittere hic Christum, *se Apostolis suis, ut prædicatoribus & pastoribus, omnibus diebus adfuturum, usq; ad finalem suum adventum, idq; sine perpetua assistentia fieri non posse, omnemq; interruptionem excludi.* Perplacet hæc interpretatio. Sed quid hoc ad probandum perpetuam ordinariam Pastorum successionem? Falluntur Walenburchij, existimantes illam assistentiam perpetuam Apostolis promissam, salvam esse non posse sine ordinaria perpetua successione. Quid enim prohibet, quo minus, simulac ordinarij cessant facere officium, si per extraordinarios aut ab extraordinarijs institutam novam successionem Apostolica prædicatio propagetur, nulla ejus prædicationis fiat interruptio? Tentent Walenburchij, num ex verbis illis Christi firma aliqua ratiocinatione id vincere queant, quod hîc quasi jam certum constituunt. Sentient sibi hærere aquam.

Quinimo mihi longe certius videtur, verbis quidem illis Christum solis Apostolis singulatem gratiam & præcipua quædam auxilia pollicitum esse: etsi aliunde constet, nulli etiam fidelium Christum defore. Utique enim cum solis Apostolis de successu injunctæ sibi prædicationis sollicitis Salvatori hic res fuit. Illis singulatim auxilia à Christo hic promissa, ipsemet Maldonatus præclarè profecto demonstrat. Ad Apostolos porro solos hæc pertinere,

indi-

indicant quæ addidit Christus S. Marco teste de credentibus: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur.* Nam & illa θαυματοποιΐα solis per Apostolicam prædicationem conversis credentibus concessa est, tanquam aliquid præcipuum. Neque vero est quod sequius sentire quem faciat illud: *usq; ad consummationem seculi.* Est enim *primum* phrasis isthæc usitata illi ævo circumscriptio perpetuitatis cujuslibet, cum vita licet hominum desituræ. Unde & simpliciter, non attenta rigida illa æternitate, verba Salvatoris sic accepit l. 2. de vocat. gent. c. 2. Prosper: *Cum sicut oves introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos usq; ad consummationem seculi in omni hoc opere non derelinquam: non ad hoc ut nihil patiamini, sed, quod multo majus est, præstiturus ut nulla sævientium crudelitate superemini.* Vere *deinde* usque ad finem mundi Apostoli prædicant, non ore quidem & viva voce, scriptis tamen immortalibus & usque ad consummationem seculi nunquam interituris. Huic Apostolicæ Scripturæ præsto erit suo auxilio in æternum Christus: non permissurus ut vel unquam, sævientibus licet persecutionibus aut hominum negligentia, pereat, vel sine fructu animæ ab ijs qui seria curâ legerint versetur. Quæ profecto sunt singularia divina auxilia: qualia aliorum scripta certò sibi polliceri nequeunt. Accessit huic interpretationi quam proxime jam olim ipsemet S. Hieronymus, ad verba illa Evangelistæ sic commentans: *Qui usq; ad consummationem seculi cum discipulis se futurum promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum.*

### *ANIMADVERSIO XII.*

*Perpetuitatem Pastorum)* Non quamvis perpetuitatem Pastorum, sed solùm ordinariè vocatorum sibique ordinaria lege succedentium, negat promissam Calvinus. Et me-

rito quidem, quoniam illa nusquam est promissa. Frustra certe Walenburchios illam probare conatos ex verbis Salvatoris quæ habentur Matthæi 28, liquido jam ostendimus. Observandum porro heic est: jam tum à nobis demonstratum esse, non quamvis simpliciter Ecclesiam egere pastore, sed duntaxat eam quæ nonnihil major est & amplior. Semper vero superfore magnam aliquam Ecclesiam undequaque recte sese habentem, nusquam promissum est in sacris literis. Quantumvis sane S. Augustino ita visum fuerit, attamen non defuere nec pauci nec indocti, qui plane aliter sentirent, quo etiam tempore horribili & diuturno schismate illo laborabat Ecclesia Romana Pontificia, cui demum à Concilio Constantiensi finis impositus est. Quorum sententiæ pòst accessit ipsemet ille *stupor mundi* dictus Alphonsus Tostatus. Et vero quando in Ecclesia multùm etiam corrupta supersunt Sacræ scripturæ, (sicut autem in illa hactenus non defuerunt, ita nec unquam in illa defuturos certus sum) semper in promptu est quantum ad salutem quærendam est satis: pharos scilicet lucens in tenebrosa etiam nocte, sive dormientibus, sive otio & vitijs marcessentibus ijs quibus Ecclesiasticæ excubiæ ordinaria lege sunt demandatæ.

### *ANIMADVERSIO XIII.*

*Expresse dictum est*) Nota, Lector, quanta sit confidentia, imo quanta temeritas Walenburchiorum! Audent jactare, *expresse & manifeste* dicta esse, quorum ne verbulo quidem fit expressa mentio in Sacris literis, & quorum nihil invenire ibi potuit universa Ecclesia primitiva.

### *ANIMADVERSIO XIV.*

*Sicut non eget*) Non eget? An dare Pastores, est dare non nisi ordinarios pastores? An si qui extra ordinem dati fuerint, illi ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædifica-

ædificationem corporis Christi non fuerint dati? Atqui Apostoli ipsi & Prophetæ & Evangelistæ sic quondam dati sunt. Rogo Dominos Walenburchios: ut saltim per syllogismum eliciant nobis quod ibi *manifeste* dictum hîc jactitant, aut verò imposterum ejus jactantiæ desinant.

*ANIMADVERSIO XV.*

*Hisce positis*) Cum dicta ista nihil ad rem faciant, non *recte* sed *pessime*, non *Catholici* (veri enim primitivæ Ecclesiæ Catholici nihil tale docuerunt) sed hodierni quidam Papistæ, dicunt *illis positis nec fuisse nec fore missiones extraordinarias ab adventu Christi ad restituendam Ecclesiam.*

*ANIMADVERSIO XVI.*

*Non dicunt Catholici*) Observa Lector, hîc formalem ut vocant contradictionem duarum vicinissimarum propositionum. Paulo ante utique hæc habentur: *Dicunt Catholici non fore extraordinarias vocationes*; Jam additur: *non dicunt Catholici non fore vocationes extraordinarias.* Quæ utique formaliter sunt contradictoria.

*ANIMADVERSIO XVII.*

*A qua*) Atqui in omni hactenus instituta disputatione non hoc duntaxat, sed simpliciter omnem extraordinariam vocationem Walenburchij oppugnaverant. Esto vero hoc demum illos velle. Fateor equidem ita sentiendum, si *promissa sit verbo Dei perpetuitas vocationis ordinariæ.* At cum promissa non sit, nec usquam vetitum, novam Pastorum seriem post veterem corruptam redordiri, manifestum est, saltem posse interdum tanquam à novo fonte novam vocationem ordinariam derivari.

Quin imo id uti fiat interdum, ipsa æterna nobiscum nata lex omnino mandat. Juris enim naturalis æterni præceptum est, id quod ab Apostolo est repetitum, ut cum alibi tum in Ecclesia omnia fiant πρὸς οἰκοδομὴν, & ut salus Ec-

clesiæ sit publica norma eorum quæ in Ecclesia veniunt agenda. Jam verò fatentur ipsi Walenburchij, interdum adeo corrumpi posse Ecclesiæ statum, ut sit opus extraordinarie à Deo missis restitutoribus. Quid si vero illa sit corruptela, ut qui ante vocati ordinarie fuerant nolint, cùm ipsi redire ad frugem & docere quæ docenda erant ac sacramenta ex Christi instituto celebrare, tum alios meliores admittere vel consecrare? An tum nihilominus illis solis permittenda fuerit Ecclesiæ curatio, & nullus novus ordo Pastorum instituendus? Atqui ita vel peribit vel plane collutulabitur Ecclesia. Quod permittendum non esse, probat æterna Naturæ lex. Unde consequens est, tum saltim ipsius Naturalis legis præcepto nos teneri, ut abrogato veteri illo inemendabili Pastorum ordine populus Ecclesiasticus novum & meliorem Pastorum ordinem instituat & ordiatur. Non est sane quod dicas forte, ordinarios ministros usque adeo corrumpi non posse. Plurimis enim in locis ita jam esse corruptos illos, imo plane interiisse ordinem clericorum, nimis jam (proh dolor) usu dudum compertum omnibus, ipsismet etiam Walenburchijs, est. Neque arbitror quenquam ausum adfirmare, personalis quam vocant successionis eam vim esse, ut doctrinæ puritatem sibi comitem semper trahat: quantumvis Domini Walenburchij personali successioni plurimũ tribuere videantur.

### ANIMADVERSIO XIIX.

*Ordinaria via*) Voluit sane hæc Deus sub Veteri fœdere, idque diserta lege constituit. Et tamen Prophetas voluit audiendos potius quam ipsos summos Sacerdotes Aronidas.

### ANIMADVERSIO XIX.

*Immediate constitutis*) Non Apostoli, sed solus Christus in locum Sacerdotij Aronici fuit substitutus. Utinam tandem aliquando Walenburchij hoc discant, ex manifestissima

ſima illa doctrina Epiſtolæ ad Hebræos, cujus jam ante mentionem fecimus. Apoſtoli non niſi legatione functi ſunt pro Chriſto, ejus in Sacerdotio ſucceſſores nequaquam fuerunt.

### *ANIMADVERSIO XX.*

*Vt novum*) Non *novum* duntaxat *Sacerdotium*, ſed neque *Sacerdos novus* aut à Chriſto alius, poteſt inſtitui in N. T. At nihil hoc obſtat quo minus nova ſeries ordinaria Paſtorum Eccleſiæ exordium capiat. Aliud enim Paſtor eſt aliud verus Sacerdos. Fuit ſane jam apud Judæos cuilibet Synagogæ ſuus *paſtor* ſivè *doctor*: unde in Eccleſiam recepta eſt vox cum ipſo docendi munere. At Sacerdote caruit omnis Synagoga, & hodie omnis Eccleſia, ſi unum excipias æternum Pontificem Chriſtum.

### *ANIMADVERSIO XXI.*

*Demus eo loco*) At nihil aliud voluit probatum hîc Sadeel. Non ſequi vero, omnem ordinariam vocationem intercidere ubi opus eſt extraordinaria, fateor ipſemet. Quin tamen poſſit intercidiſſe, nulla obſtat Scriptura. Imo verendum utique eſt, quo loco invaluerit Apocalyptica illa Eccleſiæ corruptela, ibi futuram & ordinariæ vocationis interitum, & nova opus fore Paſtorum ſerie. Nec enim ordinarij quidem Paſtores ſi loco ſuo relinquantur, in tanta corruptela ad frugem facile redire poterunt. Vi autem depellendos non dicit Scriptura. Igitur & illi manebunt & novus ordo inſtituendus fuerit: plane ut factum eſt noſtra tempeſtate.

### *ANIMADVERSIO XXII.*

*Multo minus*) Injuria hic ſugillatur Sadeël. Non ſuſcepit hoc loco id probandum quod urgent Walenburchij. Fateor etiam, iſthoc Apocalyptico teſtimonio proprie hoc probari non poſſe: ſed alio id niti argumento, jamq; tum adducto.

ducto. Illud autem æquâ facilitate posse omnium sectarum auctoribus quasi pro scuto esse, falsissimum est: neq; unquam verisimile facturi sunt Walenburchij si tentaverint.

*ANIMADVERSIO XXIII.*

*Et Sadeel)* Quid Sadeel voluerit probare manifestum est ex ejus verbis. Æque hic injurij sunt Domini Walenburchij Sadeëli, atque per injuriam crepant *evidentissimas scripturas* ubi nullæ comparent.

*ANIMADVERSIO XXIV.*

*Non credimus)* Cum tamen ἀποστασία illa tolletur demum adventu Christi, uti ipsi Walenburchij indubie sentiunt, adveniens vero vix inventurus sit fidem Christus ceu ipse dicit Luc. XVIII, 8. quidni liceat illam ἀποστασίαν *generalem* appellare? Quotquot certe Patrum de tempestate Antichristi loquuntur pene consentiunt. Nec tamen dixerim Sadeelem opinatum, ita fore *generalem* apostasiam ut nulla Ecclesia integra supersit.

Quæ reliqua hic adnectuntur nihil sunt nisi recocta sæpius crambe. Spero autem imposterum cautiores fore Dominos Walenchurchios, neque amplius ea confidentia jactaturos Scripturæ pro perpetuitate ordinariæ vocationis dicta, qua hic intonant.

*ANIMADVERSIO XXV.*

*Per ordinarie vocatos)* Imo id fieri non poterit, si vix fidem inventurus sit Dominus. Non tamen dissimulabo, placere mihi veterum interpretationem: quod scil. Antichristus futurus ab ipso Domino ad judicium adveniente sit tollendus è medio, idq; facile adeo, atq; oris flatu pulvisculus aut gluma dispergitur. Hoc sane mihi videntur indicare illa S. Apostoli: *ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ.* Non est hujus loci ea de re pro dignitate agere. Dudum ante & aliter perituram Romanam

manam curiam, sive scortum Babylonium, significatur cap. XVII. & XVIII. Apocalypseos.

*ANIMADVERSIO XXVI.*

*Sed non legimus*) Neque hoc voluisse Calvinum, manifestum est, quoniam non nisi versiculum secundum adduxit in testimonium. Omnes igitur qui sequuntur clamores Walenburchiani sapiunt calumniam: quod eorum pace dictum esto.

*ANIMADVERSIO XXVII.*

*Necesse est ut fingat*) Nullam equidem video *necessitatem* tale quid fingendi. Debuissent Domini Walenburchij non tam declamare hîc loci quam firmis productis in medium syllogismis disputare. Calvinum in id tantum hæc adduxisse, quo probetur, non semper Ecclesiam solis ordinarijs pastoribus aut posse aut solere integram servari, sed nonnunquam necessarium esse ut extra ordinem alij illam fœde collapsam erigant & restituant: apertissimum est.

*ANIMADVERSIO XXIIX.*

*Neq; enim est)* Probari hinc facile potest quod Calvino quidem probandum fuit. Etenim in desertis nulli sunt pastores ordinarij: si qui igitur ibi fuerint necessum est extra ordinem isthuc adventasse. Futuros autem cum gregibus Pastores in loco deserto dicit Propheta. Consequens ergo est, ibi extra ordinem illos adfore: atque adeo, fas esse ut qui extra ordinem interdum gregem pascant.

*ANIMADVERSIO XXIX.*

*Textus Gallicæ Confessionis*) Textibus adductis videntur voluisse autores Confessionis nihil aliud probatum, quam instituto ipsiusmet Christi esse consentaneum, ut aliquibus ex credentum multitudine quasi selectis committatur Evangelij prædicatio.

*ANIMADVERSIO XXX.*

*Rogo quemlibet)* Rogo & ipse quemlibet, ut cum cura

S expen-

expensis omnibus, à me pariter & Walenburchijs in medium productis, judicent: *Primò* utrum in Novo Testamento perpetuam futuram successionem ordinariam Pastorum, sit divinitus promissum: *Secundò* utrum à Deo vetitum sit novam ordiri seriem Pastorum, si illi qui hactenus fuerant ordinarij sint & ipsi emendabiles & omnem Ecclesiæ corruptæ reformationem pergant impedire: *Tertio*, quum nihil in alterutram partem sit divina aliqua lege hic aperte constitutum, imo Ecclesiæ administrationem humanæ prudentiæ Deus commiserit, annon debeat in Ecclesia corrupta, exigente ejus salute, novus ordo Pastorum constitui.

### ANIMADVERSIO XXXI.

*Unde probant)* Iniquissimi sunt clamores hi omnes Walenburchiani: quandoquidem citatis quidem locis nihil illorum probari debuit, sed in thesi tantum res confici, hypotheseos probatione alibi instituenda. Et vero ab ijs quibus hic inique insultant Walenburchij, illa ipsa, quæ *unde probentur* hic rogatur, abunde alibi sunt demonstrata.

### ANIMADVERSIO XXXII.

*Tam horrendum figmentum)* Est sane commune dogma omnium Protestantium: nullum fidei articulum non aperte in Scripturis definitum esse, & inde duntaxat peti posse & oportere. Cujus ratio est natura notum axioma illud: *quod ea quæ sunt arbitrij divini non nisi Deo revelante hominibus datum sit scire*; & illa Christianorum communis hypothesis; *quod vita æterna sit arbitrarium Dei beneficium, & quæ ad salutem illam consequendam faciunt, cujusmodi est fides salutifera, itidem sint arbitrij divini & à solo Deo debeant & possint disci*: & denique illa itidem communis hypothesis Christianorum: *quod sola scriptura sit litera divinitus tradita*. Bene itaque hoc quidem affirmant Walenburchij: Protestantes *nihil velle credere sine apertis S. Scripturæ testimoniis*.

At

At vero horrenda est calumnia: Protestantes *pro articulo fidei habere* id quod *horrendi figmenti* titulo ipsi hic infamant. Collapsum fuisse Ecclesiæ ministerium, nonnullos item extra ordinem à Deo esse excitatos, & quinam sint illi extra ordinem excitati: non necessum est ut proxime discamus Deo revelante. Abunde id intelligi potest facta tantum collatione eorum quæ usus docet & experientia, ad normam Scripturæ jam revelatam. Nec verò omnia etiam quæ in Confessionibus adferuntur *pro articulis fidei* venditantur: utpote cum in ijs promi etiam soleant sententiæ de quæstionibus disputari in schola solitis. Quanquam fortasse satius fuerit, si Confessiones intra sola ad salutem necessaria, ad primitivæ Ecclesiæ symbolorum instar, continerentur.

---

## APPENDIX AD CAPUT XI.

WAlenburchianis confutatis nemo forte à nobis quidquam hujus argumenti desideraverit. Et verò sole clarius jam manifestum est, non promisisse Deum, fore semper in Ecclesia integram ab Apostolis usq; & haud interruptam Pastorum successionem personalem: multo minus, si illa sit integra non posse nasci summam doctrinæ corruptelam, quæ extraordinariis indigeat Reformatoribus: prædictum esse ex adverso divinitus, cum aliquando futurum Ecclesiæ statum, ut quo Ecclesia nonnihil sibi restituatur sint quasi excitandi ab ipso Deo commodi ministri. Ut Dominis Walenburchijs tamen eorumq; asseclis adhuc magis splendeat veritas, placet in medium hic adferre quę jam tum alibi disputavimus contra perpetuam successionem personalem Romanæ sedis Episcoporum. Hac enim hodie nititur omnis jactata successio universæ Ecclesiæ quæ Romano Pontifici adhærescit: ut illa eversa reliqua omnis ultro corruat. Disputavimus autem hac de re in nostra Defensione Ecclesiæ Protestan-

tium, quâ parte examen instituitur primi illius Syllogismi Papistici:

> *Vbicunque datur successio perpetua Episcoporum ab Apostolis usque, ibi est vera & Catholica Ecclesia.*
> *Atqui Romæ datur talis successio*
> *Ergo Romæ est vera & Catholica Ecclesia.*

Ostensa enim futilitate Majoris propositionis atq; ad Minorem facta accessione, in hunc modum & illius quibus laborat vitia demonstravimus.

1 Cæterum de *MAIORE* fortasse plus satis est dictum. Etsi vero illis vitijs compluribus in medium productis jam syllogismus ipse non possit non suapte sponte corruere: seorsim tamen etiam *MINORIS* morbos in omnium conspectum pertrahemus. Primum igitur, ut nonnihil seponamus, in adversariorum gratiam, Romanorum Pontificum sive constitutionem, sive fidem, sive mores, ipsa *perpetuitas* successionis labefactatur haud parum cum diuturnis interregnis, (sive interpontificia malis appellare) tum per schismata domestica Pontificum incerto reddito omni Pontificiæ successionis statu. Nec enim perpetuum est quod magna aliqua intercapedine distinguitur, sive plane nulli sint qui rem curent, sive incerti adeo, ut quos debeas sequi dignosci omnino nequeat. Iam vero Ecclesiam Romanam fluctuasse persæpe longi satis temporis interpontificio, nemini rerum Papalium vel leviter gnaro est ignotum: nec id potest aut solet temere à quoquam, superstitioso quamvis Romanensium cultore, negari.

Schisma-

Schiſmatibus quoque permultis, eaque inter nonnullis valde diuturnis, uno integros quinquaginta annos perdurante, Romanam Eccleſiam hactenus laboraſſe, nemini itidem eſt ignotum. Incertam vero ita redditam ſucceſſionem legitimam, indicarunt utique ipſa diverſa ſtudia variarum gentium, quarum aliæ his aliæ illis adhæſerunt, ita ut univerſa Eccleſia occidentalis haud ſemel hinc in partes ſeceſſerit. Eugenio & Felice contendentibus, multi præſulum & magna populi per Germaniam noſtram pars, neutri illorum voluere ſe addicere, præ illa incertitudine. Ioannes Gerſon vir ſuæ tempeſtatis prudentia, pietate, & doctrina nemini facile ſecundus, ſermone de ſignis ruinæ Eccleſiæ, ita loquitur de eo quod tum erat ſchiſmate: *Ad tantam ambiguitatem univerſalis Eccleſia devenit, quod ignoravit apud quam partem vera Sedes Romana erat, niſi forſitan Deus alicui revelaſſet, aut Salomonis judicium de puero dividendo & vera ac falſa matre, hoc perſuaderet.* Ne ipſis quidem Pontificib⁹ Romanis, jam extra ſchiſma conſtitutis, certò liquere, quinā ſchiſmatis tempore fuerint veri Pontifices, ipſa illorū diſcordia numero nominum indicat.

Adhoc vero cum in ſchiſmate non niſi penes unum poſſit eſſe Pontificium, reliqui autem ſint Pſeudo-Papæ, illorum etiam ſucceſſores forte nequaquam digni ſunt qui Papæ cenſeantur. Iam vero Vrbani Sexti Vrbanus Septimus & Octavus: illius Antipapæ Clementis VI Clemens ſeptimus & octavus: Gregorij duodecimi,

decimus tertius, quartus, quintus id nominis: hujus Antipapæ Alexandri quinti Alexander sextus, successores sese professi sunt. Si Vrbanus quintus & Gregorius duodecimus itaque legitimi fuere Papæ; necessum est Pseudopontifices fuisse Clementem sextum, septimum, octavum, ut & Alexandrum sextum. Sin vero, excludi etiam merentur fortassis ex numero Pontificum, Vrbanus sextus, septimus, octavus, Gregorius item duodecimus, tertius, quartus & quintus decimus. Igitur in Pontificum successione magnus iterum hiatus sese ostendit: frustraque adeo etiam inanis illa successio personalis jactatur, quasi ab Apostolis serie haud interrupta ad nos usque decurrerit. Esto hoc levius.

II Nequaquam vero doceri poterit perpetua illa successio, si non ij qui nomine tenus forte sunt Episcopi, reapse autem non sunt, in hunc censum computentnr. Indignum autem est promiscue omnes admittere, & quidem in signum superstitis Apostolicæ Ecclesiæ eos, qui forte nihil sunt minus quam veri Apostolici, sunt imo infra vilem sortē fecis Christianorum sæpenumero abjecti. Ejusmodi vero hactenus fuisse Paparum plurimos, non est probatu difficile, modo præ oculis versetur, quales Apostoli jusserint esse Episcopos.

1 Debet nimirum Episcopus *potens esse exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. At vero jam aliquot seculis reperire fuit vix denos, id qui valuerint. Ad populum qui verba fecerit sacra in æde, vix unum

unum & alterum attuleris intra mille annos. Ne sacræ doctrinæ peritia quidem jam tanto temporis spacio viam aliquam munit ad Pontificatum. Qui intra hosce quingentos annos sublimem illum thronum conscenderunt, plerique fuerunt causidici: quod loquuntur historiæ, & jam tum ævo suo conquestus est Marsilius Patavinus, nec alium fuisse eum qui nunc Sedi Romanæ præest Innocentium, est notum. Is qui sub Alfonsi Vargæ nomine Stratagemata Iesuitarum edidit, sive Scioppius sive alius quis, (non utique unus ex Protestantibus) c. 4: Vrbanum Innocentij antecessorem *Doctorem Theologiæ* dicere non audet, *quum Theologiæ ne discipulus quidem unquam fuerit.* Alphonsus à Castro Ordinis Minorum itidem Hispanus doctrina clarissimus, non dubitavit quasi mundo teste asserere: *Paparum plerosq; constat adeo illiteratos esse, ut Grammaticam penitus ignorent.* Clementem VII *nullis prope literis tinctum, verum ingenio ad infimas artes sumptuariasq; rationes adeo dimisso hærentiq; ut opificum arcana subtilitatesq; operum, nimia & prope turpi solertia scrutaretur*, testatur Iovius l. 32. qui hominem intimæ familiaritatis usu noverat. In universum tanto in numero, compluribus seculis, paucos laudaveris, qui sacrarum rerum curatione in alios rejecta, ipsi non ea maxime agenda sibi duxerint, quæ ab Episcopo aliena, imo indigna isthoc sancto munere, & quidem usque adeo, ut isthæc agitantes Episcopatu jure excidisse, divini pariter & Ecclesiastici

Cano-

Canones olim judicaverint. Nemo id negaverit, qui historias Pontificum ab ipsismet curiæ Romanæ familiaribus descriptas legerit. Recitabimus nunc tantum Francisci Guicciardini, hominis Itali & qui Leonis X. Papæ exercitui imperavit, scriptoris omnium calculo prudentissimi, testimonium, quod ita sese habet de Pontificibus plærisque sequiorum temporum. *His fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis divinorumque præceptorum obliti, atque ad mundana imperia omni cogitatione conversi, nec divina auctoritate alio, quam quasi telo & instrumento rerum fragilium abutentes, Principes potius gentium quam rerum sacrarum Pontific s videri cœperunt. Horum curæ & negotia, non jam vitæ sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas: sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis sacra tractantes: sed pecuniæ immensa cupido: novæ leges, novæ artes, novæ insidiæ ad pecuniam undique cogendam. In hunc finem audacissime arma cœlestia vibrare: profanarum sacrarumque rerum nundinationem impudentiss me exercere: hinc opes in immensum adauctæ, & in totam ipsorum aulam effusæ: ex quibus fastus, luxus, mores turpissimi, libidines voluptatesque nefandæ: nulla de successoribus cura: nulla majestatis perpetuæ Pontificatus solicitudo: sed horum loco cupido anxia & pestifera, filios, nepotes, item alios sibi conjunctos & necessarios, non modo ad opes immoderatas, verum etiam ad regna & imperia evehendi: non jam honores &*

*emolu-*

*emolumenta in merentes & bonos conferendo, sed plerumque auctionando, aut in homines ambitione avaritia & pudendis voluptatibus perditos effundendo.*

Porro posse fieri, ut Romani Pontifices hæreticis sententijs inficiantur, nemo quondam dubitavit: quemadmodum etiam nemo negavit, nonnullos Pontificum fuisse isthac peste infectos, donec avorum memoria primus Albertus Pighius in contrarium cœpit ire, quem post Bellarminus ac alij nonnulli Iesuitarum ausi sunt defendere. Et vero is etiam, qui pro Papæ causa adversus Lutherum calamo acerrime usus est, Sylvester Prierias in sua Summa, Voce *Ecclesia, §. tertio* diserte profitetur, Papam errare in fide posse, nisi utatur Cardinalium consilio. (*Non ipsi Papæ id ausi sunt diffiteri. Videre id sane est cum alibi tum in serm. 1. de consecratione Pontif. Innocentii III. tum in ipsiusmet Pauli IVti Bulla Cum ex Apostolatus*) Pighij illam sententiam, Melchior Canus Hispanus Episcopus Prædicatorij Ordinis, multæ profecto eruditionis *l.6. c.* 8. *Loc. comm.* scribit, *novam in Ecclesia esse.* Eandem Dominicus Bannes itidem Hispanus Prædicatorij ordinis, Salmanticensis Theologiæ magister longe celeberrimus, comm. in 1. Thomæ p.141. edit. Venetæ, multis improbat, *ut falsam & temerariam, atque ex pietate quidem non tamen secundum scientiam profluentem.* Ex eadem Hispania Alphonsus de Castro l. 2. de justa hæreticor. punit. c. 23. de Alberto Pighio ita loquitur: *Doctus certe vir, verum*

*nihil aliud in defensionem Honorij agit quam littus arare, aut laterem lavare.* (*Libris illis Pighij nimium tribui Pontificiæ potestati, Ioanni etiam Cochlæo esse visum, patet ex Epistola Sadoleti ad Cochlæum quæ habetur lib. XI.*) Ante Pighium sane neminem vocasse in dubium, quod Pontifices hæreticis opinionibus possint teneri, imo quod nonnulli fuerint ita collutulati, vel illud indicio est, quod Bellarminus neminem potuerit laudare Pighio antiquiorem, ejusdem sententiæ. Ne nunc dicam, nunquam defuisse, nec hodie deesse ipsos inter Pontificum cultores, qui Papas in definiendis ex cathedra, ut loquuntur, fidei controversiis, hæretice & posse errare & errasse, profiteantur. Nec enim hoc nunc urgebo, quoniam controversum est. Satis ad tollendam è medio jactantiam de perpetua successione Episcoporum Romanorum est, fuisse nonnullos Papas minime ab hæresis vitio integros: quo de ante Pighium dubitavit nemo, nec hodie nisi paucissimi dubitant. Et vero Felicem & Liberium Arianis, Vigilium Eutychianis, Honorium Monothelitis assensos, negari non potest nisi cum veterum monumentorum impudente corruptela. Eoque ipsemet olim Gerardus Odonis cum contra Michaëlem Cæsenatem Ioannis XXII causam defenderet, Liberium tamen fuisse hæreticum ingenue confessus est: ceu legimus in Bzovij Annalibus ad annum 1341. pag. 641. & 642. edit. Coloniensis. Actorum item Sextæ synodi, quæ Honorium Monothelitam fuisse ostendunt, fidem

contra

contra Pighium defendit, teste Alfonso Castrensi, singulari libro ipsemet Franciscus Torrensis, sive ille Turriani nomine clarus Iesuita, superstitiosus cæteroquin & Paparum cultor & scriptorum ὑποβολιμαίων propugnator. Præter hos modò dictos Pontifices, porro & alios ita laborasse, haud difficile probatu est. Verum non est necessum ut istud moveamus, cum unius etiam Papæ hæresis ad perpetuæ successionis illam laudatam telam, ipso fatente Bellarmino, abrumpendam sufficiat.

Est vero præterea etiam hoc inter veri Episcopi requisita, ut sit ἀνέγκλητος, ut *sit exemplar gregis, exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in castitate*, ut *ne dominetur in cleris*, ut *turpe lucrum non affectet*. A quibus moribus perquam multos Pontifices, omni tempore, jam ab aliquot centum annis longissime abfuisse, ipsimet etiam acerrimi eorum ὑπερασπισταί ultro profitentur. Vt non opus sit verbulum addere in probationem. Tantum adferam tamen ex Gallia Genebrardum Archiepiscopum Aquensem, & ex Italia atq; adeo ipsamet Romana curia Cardinalem Baronium, sponte sua agnoscentes, perquam diu Romanæ Sedi præfuisse homines usque adeo moribus corruptis, ut in verorum Episcoporum & Pontificum numerum neutiquam referri mereantur. Genebrardus in Chronico suo ad annum DCCCCI. ita scribit. *Hoc uno hoc seculum infelix, quod per annos fere centum quinquaginta, Pontifices circiter quinquaginta, à virtute majorum prorsus descive-*

*rint, Apotactici Apostaticive potius quam Apostolici.* Hæc ille. Apotactici autem & Apostatici non sunt utique veri Episcopi. Genebrardum itaque si audimus, per centum quinquaginta annos veri Episcopi defuerunt, atque adeo tanto temporis continuo spacio defuit Romæ verorum Episcoporum successio. Cardinalis Baronius ad annum DCCCXCVII. n. 4. scribit: *Intrusi in cathedram Petri, solium Christi, sunt homines monstruosi, vita turpissimi, moribus putidissimi, usquequaq; fœdissimi.* Ad annum CM. n. 3. *Quot,* inquit, *proh pudor! proh dolor! in eandem sedem angelis reverendam, visu horrenda intrusa sunt monstra! —— Quibus nunc ipsam contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisq; perpetua infamia denigrari!* Idem ad annum CMXII. scribit *intrusos in Sedem Petri meretricum amasios PSEUDOPONTIFICES, qui non sunt nisi ad consignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum scripti.*

Non diffitebor, proclamatos à Baronio *Pseudopontificum* nomine illius temporis Papas, non tam vitæ & morum caussa, quam quod non legitime id sanctum munus fuissent aggressi; credique vulgo sceleratos mores non obstare quo minus verus sit Episcopus. Neque ego dixerim, ab impio sacerdote quæ sacra peraguntur sacra non esse, atque adeo Papas improbos nihil sacri potuisse celebrare. Proprie tamen & vere ejusmodi impios posse Episcopos dici, hinc minime sequitur. Nam baptismus etiam ab hæreticis aut laicis collatus rectus esse

esse potest: fatentibus vulgo Pontificijs. Vtut placuerit loqui, id certum est, impios & sceleratos Episcopos, & quidem si longa serie sibi succedant, non eos esse, ut illorum continua quædam successio, in argumentum superstitis Catholicæ Ecclesiæ & salutaris fidei, possit aut debeat adduci. Certe ut id fiat quadamtenus verosimile, soli probi imo sancti Episcopi idonei sunt. Ex adverso non quidē improbitate Episcopi cujusdam illico omnis quę illi subest Ecclesia, capit vitium, facile id tamen solet contingere: non vacat profecto periculo. Si sane dormiente patrefamilias seruntur zizania, ut in sacra parabola est: quid fiet, si ille suo exemplo quasi provocet vitia? Baronius ipsemet ad Annum DCCCXCIX. n.3. fatetur: *seculum illud Romanæ Ecclesiæ lugubrius & funestius esse redditum, stertentibus videlicet omnibus, quibus ad regimen fuerat vigilandum, imo iisdem ipsis, ut Apostolica navis fluctibus obruta penitus mergeretur, operam dantibus.* Idem ad annum DCCCCIIX. n. 4. scribit: *Ceterum quum hujusmodi invasores Sedis Apostolicæ invaluere, quid adeo mirandum sit, si inconcessa sacris legibus ab illis tentata fuerint & usurpata? quid minus habet alienorum invasor à grassatore? At ab istis quis justa legitimaq; requirat?* Ad annum quoque DCCCCXII. n.8. in hæc verba prorumpit. *Quæ tunc facies Sanctæ Ecclesiæ Romanæ? quam fœdissima? quum Romæ dominarentur potentissimæ æque ac sordidissimæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur Sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum ac nefandum*

*dum est, intruderentur in Sedem Petri earum amasii Pseudopontifices?* Itidem addit. *Qualesnam reris delectos ab hisce monstris presbyteros & Cardinales fuisse putandum? quum nihil tam natura insitum sit quam unumquemq. sibi similem generare?* Bartholomæus Caranza magni nominis Hispanus Episcopus, in sua Conciliorum Summa, quum de Christophoro ac Sergio, qui decimi seculi initio sederunt, fecisset verba, addit: *Videas quantum degenerabant Pontifices à majoribus suis: ne cui mirum sit, si qui abusus & perversæ opiniones in Ecclesiam irrepserunt.* Alphonsi de Castro *l. 3. cap. 5. pag. 333. de justa hæreticor. punitione* hæc verba sunt: *Difficile est, nisi Deus ipse custodiat, tanta sacerdotum indignitate, & tam scelerata illorum vita existente, Christianam religionem esse ubique integram.* Omnes porro prudentiores inter hæresium causas solent numerare depravatos Episcoporum mores, & hinc profluentem neglectum veræ & sacræ doctrinæ pietatisque. Quidni ergo idem periculum Romæ fuerit metuendum, in longi temporis illius corruptissimo & fædissimo Ecclesiæ statu? Quid faciat, ut diuturna impietas Pontificum, vitæ duntaxat & moribus, non etiam ipsi Fidei salutari labem ingentem inferre apta sit? Perinde sanè ut in republica negligentius si cures τὸ μικρὸν, ita & in Fide ac moribus Ecclesiæ τὸ μικρὸν non animadversum, tandem in gravissimas hæreses & corruptissimam inquinatissimamque vivendi consuetudinem degenerat. Qua de re alias plenius.

plenius. Et vero non alij nunc fini hæc adducimus, quã ut pateat, longo satis temporis spatio, Romæ durasse interdum perpetuam aliquam successionem Pontificum, summe flagitiosorum, adeoque & Pseudopontificum: talium certe quorum successio non est signum Catholicæ Ecclesiæ, sed, ne quid gravius dicamus, justum metum omnibus prudentibus creat, ne interea Romana Ecclesia, ut moribus obbrutuit, ita & contagio quodam hæretico infecta sit. Talium certe Episcoporum successio diuturnior argumentum est potius corruptissimæ Ecclesiæ, tantum abest ut significet Ecclesiam integram superesse. Certe ad ejusmodi Episcoporum successionem non Irenæus, non Tertullianus, non Augustinus aut alij Veterum provocassent.

Solet adhoc vulgo à Pontificijs, ad id ut quis sit verus Episcopus, exigi legitima electio, & quidem magis rigide quam morum sanctitas. Bene an secus ita sentiant, jam non disputo. Certe Apostolos vitæ sanctimoniam magis necessariam credidisse; non difficile perspectu est. Esto vero. Turbabitur autem ita etiam jactata illa Romanorum Pontificum perpetua successio vehementer. Ipsemet sane Baronius illos, quos deplorat seculo nono & decimo pravis artibus Pontificium adeptos, PSEVDOPONTIFICES appellat, & *in catalogo Romanorum Pontificum non nisi ad consignanda tanta tempora scriptos*; ceu modo audivimus. Ibidem vero statim hæc addit: *Quis enim à scortis hujusmodi in-*

*trusos*

*trusos sine lege, legitimos dicere poßit Romanos fuisse Pontifices?* Alibi ad annum DCCCIIX n. 4. scribit: *Sedis Apostolicæ invasores non Apostolicos sed Apostaticos esse dicendos, Ecclesiastica bene disposita censuit disciplina.* Seorsim de Ioanne duodecimo ita loquitur: *Plane non nisi Pseudopontificem & Antipapam opus est appellare.* De Ioanne XII ad annum DCCCCXXXIII n. 5. scribit: *Tale monstrum Sedem Apostolicam occuparat, cui non ætas, non natalitia, non legitima suffragaretur electio, & qui vel nisi nomen Pontificis malis usurpatum artibus retineret.* Eundem alibi appellat: *Sedis Apostolicæ potius inquinatorem quam rectorem.* De eodem Ioanne XII ad annum DCCCCLV scribit: *Invenculus vix pubertatis annos excedens, & insanus puer: ut nullo pacto dicendus tunc fuerit iste summus Pontifex, in cujus electione lex nulla sit suffragata, sed omnia vis & metus impleverint: quum qui nec ætate diaconus esse potuit, ostensus sit tanquam in scena mimus Pontificem agens.* Mitto alia similia ex Baronio adferre: possunt autem adferri complura, ut ex Platina & alijs plurima. Nec urgebo nunc, quantis flagitijs laboraverint omnium pene Pontificum Romanorum electiones, à Gregorio usque septimo ad nostrum usque Innocentium X. Vitio sane electos, saltim plærosque omnium, vetant nos ignorare cum alia monumenta, tum tot Conclavium historiæ. Dissimulabo improbas electiones Cardinalium clericorumque: quorum dignitas cum primus & unicus sit ad Pontificatum gradus,

num

num is qui vitio conſtitutus eſt Cardinalis & ſæpe-
numero ex Laico in ſacrum ordinem inique allectus,
adeoque verè Cardinalis non eſt, num is inquam poſſit
deinceps rite conſtitui Epiſcopus aut Papa Romanus,
aut num is jure poſſit eligere Papam, non adeo difficile
judicatu eſt. Hæc, dico, non urgebo nunc, quum ingens
numerus eorum qui Simoniace conſtituti ſunt Epiſcopi
Romani, ſit extra omnem pene controverſiam poſitus:
iſque illam Romanorum Epiſcoporum perpetuam ſuc-
ceſſionem, quæ in argumentum Catholicæ Romæ ſu-
perſtitis Eccleſiæ laudatur, plus ſatis turbet imò ab-
rumpat.

Poſtremo ſi etiam id verum eſt, ordinationem le- 5
gitimam neceſſarium eſſe ad id ut quis ſit verus Epiſco-
pus, illam autem peragi non poſſe ab eo qui Simoniace
electus eſt, (utrumque vero docet Eccleſia Romana) ite-
rum periclitatur perpetua illa ſucceſſio, ſi non jamdu-
dum intercidit. Cardinalibus enim pleriſque (quorum
unus tamen vulgo electum Papam, ſi forte ille aut non
eſt in ordinibus, aut diaconus tantum vel presbyter, E-
piſcopum ordinat) pretio purpureum galerum confer-
ri, palam eſt. Horum itaque nemo dare gratiam pote-
rit, ut qua ipſe deſtituitur. Imo quum apoſtaticorum
Pſeudopontificum ſucceſſio duravit aliquando ultra
centum, imo ad centum quinquaginta annos; cum hi
rite ordinare non potuerint, intra centum quinquagin-
ta annos nulli Cardinalium potuerunt rite Epiſcopi cre-

ari: adeoque & nemo amplius Cardinalium potuit rite Papam aliquem consecrare. Interciderit ergo necessum est Paparum per manus ab Apostolis tradita successio. Sed ea de re iterum aliquid ad Argumentum alterum dicendum veniet. Et vero, nisi vehementer fallor, multis adeo modis argumentationis primæ vis omnis fracta jam est, ut longe petitis responsionibus merito possimus in re clarissima abstinere.

Hæc jam antehac de successione perpetua Pontificum Romanorum disputavimus. Faciant periculum Domini Walenburchij num queant refellere. Si non poterunt, quî velint ostendere in Ecclesia Occidentali, quam unam vere catholicam esse arbitrantur, mansisse ab Apostolis usque haud interruptam Pastorum ordinariorum seriem? Si ostendere non poterunt, ut eos non posse certus sum, utinam cedant palmam veritati!

## CAPUT XII.

## Consideratur successus prætensæ Reformationis Calvinianæ.

SAdeel de vocat. Minist. pag. 554. descripturus successum prætensæ Reformationis, à doctorum præstantia & fortitudine, à vi & sævitia persecutorum, nec non à constantia martyrum sic præfatur: *Proferam miracula, quæ qui non attendit, eum profecto non crediderim, vel Israëliticis tuto per medias undas transeuntibus, vel aquis ex rupe miraculosè profluentibus, vel aliis ejusmodi miraculis unquam potuisse commoveri.* Et sic concludit: *Si tantopere miraculis ducuntur, ecce infinita miracula, quibus hac ætate Dominus Ecclesiam situ & squalore Pontificio deformatam atque consepultam è tenebris in lucem revocavit. Quod si tantum hunc fulgorem oculis, vel odio suffusis, vel malitia præstrictis, cernere non possunt, certè vel hoc unum nobis erit maximum ac insigne miraculum, quod illi in media luce versantes, & ipsa Dei admiranda opera ma-*

*nibus*

*tibus propemodum tractantes, tamen & videntes non videre, & palpantes non sentire, & præsentes abesse videantur.* Vide ejusdem *Refu. Asser. Posit. pag. 859 col. 2.*

Eundem successum allegavit Mornæus, referente Champnæo
*de voc. Minist. cap. 8. pag. 264.* Qui bene dicit, se mirari, Mornæum 1
adeo omni judicio privatum, ut vel de illo miraculo somniare quidem posset; si enim hoc miraculum vel ad vocationem, vel ad doctrinam probandam & confirmandam idoneum foret, necesse erit credere, omnes planè hæreticos, qui multitudine sequacium abundarunt, præ cæteris vero Arianos, & veram vocationem & veram doctrinam habuisse. Neminem latet, eorum improba factione multo plures ab unitate & communione Ecclesiæ Catholicæ fuisse abstractos, quàm novorum istorum Reformatorum perverso
molimine. Sed quid multis opus? doceant ex scripturis, qualemcunque 2
successum prætensæ Reformationis, esse signum, primos auctores istius successus esse extra ordinem à Deo vocatos, atque ab his debere incipere novam vocationem ordinariam.

Necessarium verò est, ut utrumque doceant ex scripturis, & 3
primos suos Auctores fuisse extra ordinem à Deo vocatos, & ab illis debuisse incipere novam vocationem ordinariam. Nam ut refert Champnæus *cap. 8. pag. 215.* Calvinistæ non solum prohibuerunt Episcopos Apostatas ministros suos ordinare: sed neque ipsos, neque alios in Ecclesia Catholica ordinatos, & ab ipsa ad Calvinismum apostatantes, ordines suos exercere, vel in Ecclesia sua ministrare, nisi post abjurationem prioris ordinationis, & novæ institutionis suæ susceptionem, permittunt. Hac quidem ratione recepti fuerunt in congregationem Genevensem Oneltus Trecensis, & Spifamus Nivernensis olim Episcopi, ab Ecclesia Catholica ad sectam Calvinisticam turpiter deficientes. Sic Molinæus apud Veronium discip. des. Egl. Prætend. refor. chap. 1. cens. de L. art. 2. pag. 24. dicit: *Conferimus Presbyteris exeuntibus ab Ecclesia Romana novam ordinationem*, Et paulò post: *Quando Presbyter Ecclesiæ Romanæ ad ministerium inter nos recipitur, iterum ei manus imponantur, eique nova confertur ordinatio.* Sed quæras auctoritatem Scri- 4
pturæ Sacræ in re tanta, dicit idem Molinæus ibidem pag. 15. *In hoc puncto reordinationis non habemus ullum textum verbi Divini, qui*

*nobis det regulam.* Et tamen illi homines volunt omnia probari manifestis Scripturæ testimonijs.

## *ANIMADVERSIO I.*

*Bene dicit*) Miror equidem Dominis Walenburchijs illa Champnæana probari: cum latere illis non possit, vulgo à suæ sectæ hyperaspitis solere felicitatem secularem inter Romanæ Ecclesiæ divina indicia numerari: quæ longe minus tamen divinam extraordinariam curam arguit quam successus Reformationis. Non arbitror quoque, fugere Walenburchios, à Jesuitis accenseri miraculis solere suæ Societatis eximium celeremque progressum. Poterunt denuo consulere Ribadeneiram l. v. de vita Ignatij cap. 13. si forte sint obliti. Nec enim nunc dicam, ut legant quæ Petrus Deza in Oratione de Ignatij beatificatione pag. 152. ausus fuit gloriari de miraculo isto Societatis, quo fit ut obblandiendo & expalpando nihil non possint à magnatibus & divitibus quibusque sibi impetrare. Sadeelem itaq; & Mornæum utique possunt tantorum Pontificiæ sectæ doctorum similia exempla excusare.

Habent vero illi ea in re præeuntes complures etiam primitivæ Ecclesiæ sanctissimos Patres: quibus & Martyrum constantia, & felix incrementum Ecclesiæ argumentum fuere veritatis doctrinæ Christianæ. οὐχ ὁρᾶς (ait S. Justinus Martyr) ὅσῳ πλείονες κολάζοντες τοσούτῳ πλεονάζοντας ἄλλους; ταῦτα ἀνθρώπου οὐ δοκεῖ τὰ ἔργα, ταῦτα δύναμίς ἐστι τοῦ θεοῦ, ταῦτα τῆς παρουσίας αὐτοῦ δείγματα. At vero vel par vel non multum impar profecto, est successus reformationis primæ Evangelicæ prædicationis. Quin imo martyrum dixeris hic majorem constantiam, nihilo utiq; minorem, ceu latius ostendi initio Præfationis in Cassandrum.

Jam tum ibi verò fassus sum, illo felice progressu indicari quidem aliquod humana ope & prudentia majus auxilium,

lium, non tamen demonſtrari approbatam divinitus doctrinam. Cum nihilominus Erbermannus Jeſuita mihi diverſam ſententiam adſcriberet, eandem denuo repetij in Epiſtola illa apologetica quam ad Clar. Theologum amicumq; meum Gerhardum Titium exaravi. Recitabo hic nonnulla duntaxat (prolixius enim ibi id egi) ex ſola in Caſſandrum Præfatione. *Non tamen ego adverſæ partis imitatus exemplum, quæ inter indubitatas veræ Eccleſiæ notas, quaslibet res ſecundas vulgo numerat, proſperos iſtos celereſq; progreſſus, & quæ hos jam excepit comitaturq; felicem diuturnitatem, certum habeo ſignum ejus, quaſi omni ex parte probet Deus factam illam mutationem: perinde atq; illius ſingulari quadam providentia eam eveniſſe ex iis quæ in medium adducta ſunt non vereor colligere. Scio quippe, ſolere etiam ab infenſo numine permitti in pœnam, ut inuſitata & pene incredibili felicitate veritas pietaſq; opprimatur, ſcelera atq; impij errores ex adverſo occultis dæmonum auxilijs propagentur: quod quadamtenus de Muhametica etiam ſuperſtitione, ne alia nunc tangam, eſt manifeſtiſſimum.* Hinc pag. 61. ejuſdem præfationis, conceſſi quoque Ribadeneiræ, ex felici progreſſu Sodalitatis Jeſuiticæ colligi poſſe, *aliquod majus ſolito Lojolæ conatibus adfuiſſe.* Affirmavi itidem ultrò Animadverſionum ad Machiavelli Principem cap. XI. pag. 121. *Spiritualem ceu vocent monarchiam, quam Papæ Vicariorum Dei titulo late jam multis ſeculis exercent, inuſitata & exemplo carente quadam ſuperiore vi ſubnixam conſiſtere. Perinde ut ſapientiori cuivis facile perſpectu eſt, etiam ſuperſtitionem Muhammedanum mille jam annos floruiſſe, Dei potiſſimum ſingulari aliqua in Eccleſiam indignatione, aliàs verò humanis conſiliis aut viribus parum eſſe ſubnixam.* Hæc inquio jamdudum docui: atque adeo etiam hic profiteor, non ineſſe robur aliquod firmũ pro veritate doctrinæ ab inuſitata felicitate progreſſus religioſi petitæ argumentationi. Nec tamen non &

Walenburchij coguntur mecum hîc agnoſcere vim divinam: quantumvis diſſimulent. Rogo Dominos Walenburchios, velint expendere vim ſaltim eorum, quæ initio ad Caſſandrum præfatus ſum.

Non male porrò Sadeël etiam in eo vim divinam agnovit, quod aperta in veritatis luce nihilominus ceſpitent quaſi in denſis tenebris adverſarij. Non ovum enim ovo magis ſimile, quam planè eadem eſt Judæorum & Papiſtarum contumacia & cœcitas: ſi licet id quod res eſt affirmare. Vere ſane utrobique latet *miraculum illud grande & ſtupendum*, cujus fit mentio Eſaiæ 19. Perinde atque θεήλατον quid agnoſco in illa erga Jeſuitas hominum inuſitatâ benevolentia, cum Petro Deza, & cum Scioppio *pag. 107. Infamia Famiani*, ideo quod cum aperte doceant, amphibolijs & mentalibus reſervationibus quas vocant licere in communi vita, imo in ipſis judicijs, homines circumvenire, ipſi tamen apud Reges quoque & Principes dictis ſuis fidem inveniant.

*ANIMADVERSIO II.*

*Doceant ex ſcripturis*) Quid ſi fuerit evidens? Sola illa ſcilicet ex ſcripturis petenda veniunt, quæ non niſi Deo revelante ſciri à mortalibus nobis poſſunt. Si æque evidens igitur eſſet, placere Deo doctrinam quam inuſitata felicitate propagari permittit, atque eſt evidens, miracula in fidem doctrinæ facta doctrinæ illius veritatem demonſtrare; non opus foret ex ſcripturis id addiſcere.

*ANIMADVERSIO III.*

*Neceſſarium vero eſt*) Rapi Walenburchios impotentis animi affectu, hic manifeſto liquet. Relinquunt enim argumentum de ſucceſſu Reformationis, & mox dilabuntur iterum, ad Paſtoralis officij Pontificiæ Eccleſiæ damnationem & novi inſtitutionem, à Reformatoribus factam. Quo de ad nauſeam plurima jam dicta erant.

### *ANIMADVERSIO IV.*

(*Auctoritate sacræ scripturæ*) Abunde à me jam ostensum est, Scripturæ testimonio nullo opus esse. Molinæus utrum ista dixerit in hujus argumenti disputatione, nescio. Id scio non tuto credi Veronio.

## Caput XIII.

## Considerantur miracula Calvinianorum.

MEritò requirimus à Calvinistis, ut extraordinariam, quam 1
jactant, Auctorum suorum vocationem, aut divinis miraculis
probent, aut indubitatæ fidei alijs divinis testimonijs stabiliant.
Alij ex ipsis non pauci requirunt miracula, apud Brerli *in Apolog.*
*Protest. Tract. 2. cap. 2. sect. 3. subd. 2. pag. 289.* Alii fatentur primos 2
Auctores suos nulla miracula fecisse. *Ibid. cap. 3. sect. 7. sub. 2. pag.*
*496.* Alij aliter loquuntur.

Sadeel *in Refut. assert. Posnan. pag. 859.* dicit: *Miraculorum delectus adhibendus. Nec enim omnia miracula sunt eo modo visibilia, quo legimus cæcos olim visum recuperâsse, quosdam fuisse à mortuis excitatos, & consimilia pleraque. Sed sunt & alia non tam corporis quam mentis oculis conspicienda miracula: ejusmodi multa affirmamus in Lutheri & Zvvin-*
*glii prædicatione extitisse: qui quum infirmi essent & tenuis conditionis ho-* 3
*mines, tamen instructi divina virtute, ac inprimis verbo Dei armati, in primatum Rom. Pontificis præter jus fasque usurpatum, & humanis omnibus viribus circumseptum, fortiter & magno cum successu, impetum fecerunt.* Sed hæc ad miracula propriè dicta non pertinere, quibus extraordinaria vocatio stabiliatur, nemo non videt.

Refert Champnæus *de vocat. Minist. cap. 8. pag. 262.* idem miraculum sic à Mornæo deprædicari: *Primum est, quod Monachulus cum paucis Symmistis maximam Reipublicæ Christianæ partem Pontificis Romani tyrannidi eripuerit, & verbi Dei splendore, infinitis hominum myriadibus jam à nativitate cæcis visum* (spiritualem) *restituerit. Quod tantum miraculum absque miraculis perfici, omnia miracula longißimo intervallo superat.*

Non fidit tamen Mornæus isti miraculo miraculorum; ideo aliud in subsidium vocat. (*ibid: pag. 264.*) quod Pharisæos ipsos, qui signa de cælo petierunt, convincere posse existimat. Istud verò

est:

4 est: Quod *illo tempore, quo per totam Galliam, tanquam laniena, strages illæ ederentur, fulgere è cœlo cœpit novum illud sydus, quo non aliud simile à mundi creatione ad natum usque Christum visum fuerat, omniumq; oculis totos tres annos subjectum fuit. Et quid obsecro nobis portendit, nisi renascentem in mundo verbi prædicatione Christum?* Benè addit Champnæus; hinc manifestè constare, quam miserè egeni & inopes sint novæ Reformationis magistri, qui in tanta miraculorum necessitate, nec unicum quidem verum, imò nec aliquid vero miraculo simile producere queant. Sed ponderemus sublime illud Mornæi miraculum Primò, tantum ab est, quod certum sit, sidus illud fuisse miraculosum, hoc est supernaturaliter productum, ut illud vix probabile sit. Secundò, esto miraculosum; nulla apparet probabilis ratio, vel minimum signum, quod prætensam religionem & reformationem ita respiciebat, ut in illius approbationem editum fuisse, verisimiliter saltem credi posset. Neque enim prædictum vel prævisum fuit ab aliquo eorum, neque ex precibus eorum à Deo impetratum, neque per aliquem effectum externum ad illum finem applicatum, vel accommodatum. Qua ergo ratione dici possit, reformationem istam quoquomodo spectâsse? Tertio tardius visum fuit, quam necessarium erat, *ut renascentem Christum, verbi sui prædicatione, per novos Reformatores* præmonstraret. Lutherus enim Apostasiam suam (quæ novi Evangelij natalis erat) anno 1517 incepit: stella autem prædicta non apparuit ante annum 1572. nimirum quinquaginta & quinque annis post Lutheri ab Ecclesia discessum, cum tamen signa præfigurantia alicujus rei illam præcedere necesse sit. Quod verò Mornæus dicit, *Sydus illo apparuisse tempore quo strages in Gallia ederentur,* tantum abest, ut causam suam juvet, ut eam penitus evertat. Po-
5 sito enim, quod astrum illud miraculosum extiterit, & quod strages illas quoquo modo respexerit, nemo judicio tantum mediocri præditus negabit, quin divinam approbationem potius, quam improbationem eorum præmonstrarit. Quia Deus quoties aliquam actionem sibi displicere ostendere intendit, per fulgura & tempestates, terræ motus, ignem, sulphur, & hujusmodi signa id præstare solet, non verò per novorum astrorum creationem. Nova enim sydera non iram Dei, sed complacentiam potius demonstrant,

ſtrant, ut de illa ſtella conſtat, quæ Chriſtum Dominum tribus Magis oſtendit & revelavit. Atque idcirco Mornæus miraculum adduxit (ſi tamen miraculum ſit) non ad comprobandam; ſed ad improbandam religionem ſuam, & prædicatorum ſuorum vocationem extraordinariam. Sed miſſis illis prætenſis miraculis pro prætenſa vocatione extraordinaria, quæ prudentiores adverſarij nolēt defendere, exhibeant nobis indubitatæ fidei alia divina teſtimonia, quibus extraordinariã ſuam vocationẽ nobis perſuadeant. 6

*ANIMADVERSIO I.*

*Merito requirimus)* Merito equidem requirerent id Domini Walenburchij, ſi vere extraordinariam divinam vocationem Calvini diſcipuli jactitarent. Quum autem illam ſibi ſuiſque non vendicent, ſumma cum eorum injuria tale quid ab ijs exigitur.

*ANIMADVERSIO II.*

*Alii fatentur)* Eſſet opus miraculis, ſi doctrina per novam revelationem divinam fuerat accepta. Ad quamvis doctrinam ijs opus eſſe, nemo ſani cerebri unquam docuit. Si oſtenderint Walenburchij, doctrinam Proteſtantium non poſſe accipi niſi nova revelatione divina, omnino neceſſaria erunt miracula. Talem ſuam doctrinam, eſſe negant Proteſtantes; parati ex ſolis ſacris literis illam docere; & inde duntaxat eam peti cum poſſe tum oportere, pertendentes. Igitur per injuriam ab ijs miracula exiguntur in probationem veritatis doctrinæ.

*ANIMADVERSIO III.*

*Qui quum infirmi eſſent)* Non ſine divino numine contigiſſe reformationem, nec tamen hinc certo colligi ejus probitatem, jam diximus ad caput præcedens.

*ANIMADVERSIO IV.*

*Quod illo tempore)* Novæ ejuſmodi ſtellæ & frequenter antehac, & pòſt apparuerunt. Ex ijs una in Ariete jam ſæpius recurrere viſa eſt. Eoque in illarum apparitione ſupernaturale nihil fieri palam eſt: ut & nihil illas portendere.

ANIMADVERSIO V.

*Posito enim)* Vide Lector quorsum abripiantur Walenburchij odio partium. Nunquam antiqua Ecclesia inter verè mala, multo minus pro signo improbante doctrinam Dei, lanienam suorum habuit quamvis sævissimam. Quî ergò Protestantes adeo sinistri quid cogitaverint? Neque voluit Mornæus stellam illam editam, in signum improbatæ à Deo Parisiensis stragis, sed *quod portenderit renascentem in mundo verbi prædicationem*, illo etiam tempore quo strages in Gallia edebantur. Abunde sane constat, post immanem illam lanienam solito magis in ipsa Gallia res Reformatas crevisse: ut cruor innocens quasi pro fœcundo fuerit semine, perinde ut primitivæ contigit Ecclesiæ.

ANIMADVERSIO VI.

*Divina testimonia)* Iniquum esse hoc postulatum, jam tum constat ex ijs quæ à nobis sunt hactenus disputata.

## CAPUT XIV.

### Lutheranos extraordinariam statuere vocationem, quod ordinariam fingant extinctam.

SIcut Calvinistæ finxerunt ordinariam missionem apud Catholicos esse extinctam, ita in hoc præeuntem secuti sunt Lutherum, ejusdemque sequaces. Vide Lutheri *Tom. 2. Lat. Jen. de instit. Minist. fol. 546.* totam ordinationem Catholicam rejicientem. Imò ibidem *fol. 547.* pro sua consueta mansuetudine dicit: *Vide-*
1 *mus quales stant per ordines Papisticos Sacerdotes: Non utique sacerdotes Dei sed sacerdotes Sathanæ.* Similia habet *Ibid. fol. 548.* & alijs locis. Vide Smithæum *de Aut. & Essent. Protest. Eccles. lib. 2. cap. 7. pag. 293.*

Hinc Lutherus jactat extraordinariam vocationem Epist. qua excusat reditum suum ex Pathmo Duci Friderico Electori Tom. 2. fol. 515. *Deus me judicabit juxta conscientiæ meæ certitudinem. Certò autem scio, & firmissimè persuasum habeo, meum verbum, seu initium mei*
2 *Evangelij, non à me, sed à Deo profectum esse. Nec ullum genus mortis aut persecutionis Deo juvante hoc mihi excutiet, aut diversum docebit. Et vi-*

*deor*

*deor mihi rectè divinare, nullis terroribus aut sævitiâ hanc lucem aboleri posse.* Postea dicit fol. 516. *Divinitus accensum lumen.* Et in conclusione ibid. *V. quidem Cl. Dominus est mei corpusculi & fortunarum, Christus verò etiam animarum, ad quas me misit & ad quarum curam me exsuscitavit.*

Item in præfat. libri contra Regem Angliæ fol. 517. *Non ego opprobrium Boemici nominis metuo, quæ gloria est coram Deo: sed quod Christus me hic posuit, ut torqueam Papistica monstra, dum nihil invenire in me possunt, quod jactare vellent, in suæ incredibilis invidiæ respiraculum. Cruciari eos vult Christus sua ipsorum invidia, & dirumpi propria malitia. Expecto eos igitur hic, & exspectabo impotentissimam eorum invidiam, egregie irritaturus, & torturus, donec vixero. Si autem me occiderint, multo maximè cruciaturus. Sic enim datus sum illis in portentum à Domino meo Christo. &c.* Et in ipso libro fol. 519. *Certus sum dogmata mea habere me de cœlo: quæ etiam adversus eum triumphavi, qui in ungue novissimo plus habet virtutis & astutiæ, quam omnes Papæ & Reges, & doctores: ut nihil agant, qui Bullas nominum & titulorum contra me jactant, & libellos sub regiis inscriptionibus venditant. Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferi & potestatibus aëris & maris. Ipsi me provocaverunt ad bellum, bellum igitur habebunt, pacem oblatam contempserunt, pacem igitur non habebunt. Deus viderit uter primo fessus defecerit Papa an Lutherus. Sic placet in Christo indies magis ac magis superbire adversus insulsos istos & ineptos basiliscos quo magis ipsi furiunt.* Et in margine horum verborum ponitur; *Dogmata Lutheri de cœlo.* Item exemp. Theol. & doct. Papis Tom. 2. fol. 561. *Cum & ego sim unus de Antipapis, revelatione divinâ ad hoc vocatus, ut dissipem, perdam, & destruam regnum illud maledictionis cupide & libenter eo fungor officio, sicut hactenus feci.* Similia ex Luthero aliisque refert Smithæus *d. lib. 2. cap. 14. pag. 428. &c.* Berleus *Apol. Protest. tract. 2. cap. 2. sect. 10 subd. 15 pag. 397. & sect. 11. subd. 3. pag. 409. &c.*

Hinc legitur in Exustionis Antichrist decret actis Tom. 2. Lutheri fol. 320. *Palam est omnibus in Christo parvulis, quorum palatum sophistica labe nondum est infectum, nec magnificis hujus seculi opinionibus delibutum, cunctisque innocentibus, Lutherum esse viventis Dei Angelum qui palabundas Christi oves pascat solo veritatis verbo, dormientibus illis qui Pastoris nomen indignè sibi arrogant. Quantumvis*

*montes Siculi ac Cedri Libani renitantur, panticosi ambitiosique, non possunt tamen Christi oves non agnoscere vocem Domini sui per istum nuncium prolatam, oves autem alieni pastoris hanc vocem non audiunt.* Similia apud Berleum vide locis citatis.

### ANIMADVERSIO I.

*Videmus quales*) Non ea fuit mens Lutheri, quasi ordinatione Papistica nihil boni committatur Episcopo aut Presbytero. Ipsemet sane non dubitavit gloriari, cum de Ecclesiastica sua ordinatione, tum de Doctorali munere in Academia accepto pariter sibi & demandato. Sed hoc tantum voluit, si plane debeat exequi Pontificius sacerdos quod sibi est injunctum, tum Deo rite litare non posse. Smithæi Berlei & Champnæi excerptis secure credidisse Walenburchios liquet: quod tamen utrum deceat candidum veri inquisitorem, ipsismet judicandum relinquo.

### ANIMADVERSIO II.

*A Deo profectum)* Cum aliquot mille locis, solam Scripturam pro norma credendorum habendam docuerit Lutherus, eaque sit unanimis sententia omnium ipsi addictorum, facile apparet, non eo crudo sensu vel hæc vel similia Lutheri esse interpretanda, tanquam ille voluerit doctrinam suam cœlitus sibi datam, & sese ἐνθουσιαστικῶς aut Prophetico more ad docendum vocatum esse. Candoris fuisset, hoc non dissimulare: quum Walenburchijs minime lateat illa & Lutheri & Lutheranorum quos vocant de Scriptura sententia. Imo non illos fugiat, argumentum libri scripti à Luthero contra Cœlestes Prophetas: qui unus sufficit Luthero defendendo ab hac Walenburchiana calumnia. Sed odium studiumque partium bonos Walenburchios totos occupavit.

CAPUT

## CAPUT XV.

## De probationibus Lutheranorum.

IN Scriptura Sacra habemus mandatum generale non recipien-
di Prophetas, hoc est, homines à Deo extraordinariè missos,
absque debita missionis suæ probatione. Sic enim Dominus di-
cit, Deuteron. 18. 20. *Propheta, qui arrogantia depravatus voluerit
loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine
aliorum Deorum, interficiatur. Quod si tacita cogitatione responderis,
quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc
habebis signum quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non
evenerit: hæc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Pro-
pheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Hinc clarum est Pro-
phetas veteres non fuisse recipiendos, nisi missionis suæ vocatio-
nem extraordinariam adhibuissent. Deus ab una parte gravem
ultionem eis minatur, qui Prophetam ab eo missum non recipe-
rent: dixerat enim verbis immediatè præcedentibus. *Prophetam
suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea
in ore ejus loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi, qui autem ver-
ba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerint, ego ultor existam.*
Quæ verba licet præcipuè & principaliter intelligantur de Chri-
sto: non tamen ita singulariter, ut alios omnes Prophetas exclu-
dant. Ab altera parte, Deus non missum prophetare præsumen-
tem interfici præcipit. Ideò necesse erat, ut aliqua certa ratio
& regula, qua utrumque periculum evitari posset populo suo re-
linqueret. Et quia eadem vel similia saltem pericula in recipien-
dis falsis, vel rejiciendis veris prædicatoribus populo Christiano
imminere constat, (de Pastoribus enim & prædicatoribus à Christo
missis dictum est una parte; *Qui vos spernit me spernit:* & ex altera 1
parte: *Cavete à falsis Prophetis qui veniunt ad vos.*) certa aliqua re-
gula dignoscendi falsos à veris Prædicatoribus non minus necessa-
ria est in Ecclesia Christiana quam Iudaica. Hanc autem regu-
lam, aliam in ordinarijs quàm successionem; in extraordinariis 2
verò quàm miracula vel Divina testimonia esse, neque ex Scriptu- 3
ra Sacra, neque alia authoritate aut ratione, uspiam apparet.

Porrò hanc veritatem Christus Dominus singulariter confir-
mat suo ipsius exemplo. Tametsi enim Dei filius esset, & doctri-

nam antiquis Scripturis omnino conformem doceret, dixit tamen Ioann, 5. 36. *Ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Observa (Lector) quod missionem suam à Patre probat, independenter à doctrinæ veritate, per opera miraculosa & supernaturalia quæ fecit. Et adhuc in alio loco magis clarè: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Si Iudæi non recipiendo Christum nequaquam peccâssent, nisi per talia opera & miracula, qualia nemo alius unquam operatus est, missionem suam à Patre probasset, ut Christus ipse testatur, tametsi doctrinam tradidit Scripturis Sacris (quæ etiam de ipso loquebantur) maximè conformem; quis adeò demens esse potest, ut Prophetam vel Prædicatorem alium quemcunque, extraordinariam missionem prætendentem, absque alia missionis suæ testificatione, quàm levi doctrinæ suæ cum Scripturis Sacris conformitatis prætextu, audiendum, atque uti legitimum ministrum auscultandum esse, effutire non erubescat? Sed is sanè multò magis esset absurdus, qui hoc in adversariorum nostrorum casu assereret, quos non minorem de veritate doctrinæ suæ, quam de valore & veritate missionis, habere controversiam omnes nôrunt. His ferè ex Champnæo *cap 8. pag. 256.* præmissis, non est necesse, ut particularia Lutheranorum fundamenta, quæ cum Calvinistis habent communia, seorsim ponderemus. Non tamen prætereunda sunt magna miracula, quæ magni nominis inter Lutheranos refert Osiander apud Champnæum ibid. Pag. 207. 4 *Friburgi in Misnia natus est vitulus, qui monachi cucullati formam gerebat; Hallæ Saxoniæ porcus è scropha prodiit, qui sacerdotis caput habebat.* Considerent Lutherani hæc miracula, & videant, an præ Champnæo meliorem applicationem inveniant.

## *ANIMADVERSIO 1.*

*Falsis Prophetis*) Optime differuerunt Domini Walenburchij de Prophetis Vet. Testamenti. Tantum debuissent advertere, simpliciter nulli Prophetam sese ferenti credi posse nisi fuerit divino instructus testimonio aut signo aliquo. Hoc enim naturâ est notum atque evidens: nemini Legatum sese ferenti fidem adhibendam absque documento idoneo

ejus

ejus à quo se missum perhibet. Prophetam vero aut Apostolum esse legatum Dei. Cæterum Domini Walenburchij hîc ita accipiunt verba Salvatoris, quasi Propheta hîc sit idem quod prædicator divini verbi. Neque ego diffiteor, isthoc modo solere & ab alijs Christi dicta accipi. At vero Prophetarum nomine solos eos voluisse Christum intellectos, qui singulatim sese à Deo immediate missos venditarent, multa sunt quæ doceant. Esto verò, falsos prædicatores quosvis hic intelligendos, tum non profecto consentit Christi & Walenburchiana doctrina. Christus enim dignoscendos illos dixit ex fructibus, Walenburchij ex successione.

## ANIMADVERSIO II.

*Quam successionem*) Cum duplex sit successio: Altera doctrinalis Altera personalis Scholis Theologicis dicta, non de illa sed de hac potest sermo esse. Est enim doctrina quidem propria maxime regula dignoscendi verum prædicatorem à falso; sed cum sit communis etiam nonnullis eorum qui sunt extraordinarij, & regula debeat esse notior regulato; de illa non potuit esse sermo Walenburchijs absque aperta nugatione. Sermo igitur est de successione personali: ut quæ solis ordinarijs sit propria, & sola sensu possit accipi, eoque notior sit doctrinæ qualitate. Cæterum id quidem quod hîc affertur Champnæicum sive Walenburchicum (nam non tantum hîc probant illud Walenburchij, sed cum alias tum l.5. de Vnit. Ecclesiæ cap. 10.) dogma, usque est adeo falsum, ut ne Papistæ quidem paulo cautiores probaverint. Est nimirum hoc: *Quicunq; succedit Apostolis ordinariâ vocatione ille est verax Evangelii prædicator.* Qui nimirum sunt prudentiores, concedunt propositionem hanc affirmativam esse falsam: veram autem si negative formetur: *Quicunque non succedit ordinaria vocatione non est verax Evangelij prædicatur.* Id utique docuerunt & Sanchez & Suarez & alij. Ut-

proin-

proinde non dubitaverit Anonymus adverſarius quidam meus, propoſito à me ex mente Papiſtarum Syllogiſmo hoc:

*Vbicunq; datur ſucceſſio perpetua Epiſcoporum ab Apoſtolis uſq; ibi eſt vera & Catholica Eccleſia.*
*Atqui Romæ datur talis ſucceſſio.*
*Ergo ibi eſt vera & catholica Eccleſia.*

me accuſare, quaſi ego de ſucceſſione perſonali ſim locutus, *cum tamen* (verba ejus ſunt) *quotquot hoc argumentum unquam urſerunt cum de perſonali ſola mentionem faciunt, negative illud forment.* Non eſt quidem vero conſentaneum quod vult ille (& verò hîc liquet, Champnæum pariter & ipſos Dominos Walenburchios in perſonali etiam ſucceſſione longe divinius & majus quid agnoſcere, adeoque affirmative conceptam propoſitionem, & hinc formatum ſyllogiſmum, urgere) reapſe autem nihil vel ſimile vero ineſſe illi propoſitioni, late demonſtravi in libro cui titulus *Defenſio Eccleſiæ Proteſtantium* à pag. 6. ad 17. Quæ uti Domini Walenburchij dignentur legere & expendere, rogo etiam atque etiam. Non dubito enim, etiam illos impoſterum futuros cautiores, nec temere probaturos ſententiam, quam vi veritatis adacti etiam ſui improbaverunt. Quin imo velim conſiderent, quam hoc dogma diſſentiat ab ijs, quæ ipſimet profeſſi ſunt ultrò cap. XI. idque aliquoties. Docuerunt enim utique, interdum opus eſſe ad corruptelas Eccleſiæ minuendas extraordinaria vocatione, quamvis nullam illa patiatur novam ordinariam ſucceſſionem. At ſi illa interdum vehementia eſt corruptelæ, neceſſum etiam eſt, interdum ordinarios paſtores non eſſe veros ſed falſos prædicatores. Illo poſito autem, non profectò perſonalis ſucceſſio regula eſt, verum prædicatorem à falſo diſcernendi.

ANI-

ANIMADVERSIO III.

*In extraordinariis vero)* Non in omnibus, sed solis ijs, qui ita à Deo missi sunt aut dependent, ut reapse citra divinum testimonium de munere divinitus ipsis commisso constare nequeat.

ANIMADVERSIO IV.

*Osiander)* Retulit quidem hæc Osiander contigisse: non retulit autem ad instar miraculi, quo æstimanda sit doctrina Lutherana. Calumniatus itaque est Champnæus. Calumniantur etiam forte Walenburchij mendacijs illis non tantum temere credentes sed etiam ipsi eadem pro veris venditantes.

## CAPUT XVI.

## Expenduntur sententiæ Protestantium.

Constat ex dictis vocationem extraordinariam apud Calvinistas pro articulo fidei in publica Confessione haberi, & à Calvino atque à prioribus prætensis Reformatoribus fuisse defensam, neutiquam verò probatam. Quapropter omnes istæ conclusiones & sequelæ locum habent, quas in præcedentibus deduximus.

Lutherani alii statuunt vocationem extraordinariam, alij partim ordinariam, partim extraordinariam, alij verò ordinariam. Petimus quænam sit Lutheranæ partis sententia; circa vocationem Ministrorum suorum? Iustè hoc petimus; quia non agitur causa Caii contra Seium, sed causa Ecclesiæ Catholicæ contra partem Lutheranam. Non potest pars Lutherana, tanquam communem totius partis sententiam, nominare vocationem extraordinariam; quia illa à nonnullis doctoribus Lutheranis rejicitur; neque horum rejectio ullo publico judicio est condemnata. Non potest eadem pars Lutherana, tanquam communem totius partis sententiam, nominare vocationem partim ordinariam, partim extraordinariam; quia hoc commentum vocationis partim ordinariæ, partim extraordinariæ, à pluribus doctoribus Lutheranis non admittitur; & hoc ipsum nullo publico judicio est con-

demnatum. Non potest eadem pars Lutherana, tanquam communem totius partis sententiam, nominare vocationem ordinariam: neque enim sola vocatio ordinaria sufficit illis doctoribus Lutheranis qui partim ordinariam, partim extraordinariam statuunt; nec congruit eorum sententiæ, qui vocationem ordinariam volunt apud Catholicos fuisse extinctam, ideoque extraordinariam ingeminant. Horum autem sententiæ nullo publico judicio sunt condemnatæ.

Quando igitur inquirimus, quænam sit partis Lutheranæ sententia de vocatione Ministrorum suorum, nihil invenire est, in quo omnes Lutherani Doctores conveniant, quod pro unanimi sententia partis Lutheranæ habeatur. Optaremus intelligere ex Lutheranis, quomodo certi sint de validitate sui Ministerij; postquam ex sententia partis suæ nequeant esse certi, sive de solâ vocatione extraordinaria, sive de vocatione partim ordinaria, partim extraordinaria; sive de sola vocatione ordinaria. Si causa agitur Ecclesiæ Catholicæ contra partem Lutheranam, uti revera agitur. Hoc ipso eversum est totum Ministerium Lutheranum, quod pars Lutherana nullam habeat

4 communem sententiam super validitate sui Ministerij. Qui nullam habent communem sententiam super validitate sui Ministerij, ac proinde de sui Ministerij validitate certi non sunt, nesciunt utique an unquam à Ministris Lutheranis sint validè absoluti à peccatis; nesciunt an unquam receperint Corpus & Sanguinem Domini in sua Cœna. Hoc autem quantum sit malum judicent ipsi Lutherani, qui salutis suæ æternæ curam habent.

Cogitent Lutherani, an certi esse possint de vocatione extraordinaria, cujus fundamenta in præcedentibus ideo discussimus, ut eorum infirmitatem liquidò perspicerent. Si nobiscum statuant, vocationem extraordinariam, juxta scripturas sacras, defendi non posse; nec esse aliam sententiam toti parti Lutheranæ communem, cui vel debili authoritate moti acquiescant: quid superest, nisi ut statuant apud partem Lutheranam nihil esse absolutè certum de validitate Ministerij Ecclesiastici, de validitate absolutionis à peccatis, de validitate consecrationis, & omnium officiorum verum Ministerium pro sua validitate requirentium.

ANI-

ANIMADVERSIO I.

*Constat ex dictis*) Imo vero ex meis constat: falso tribui Calvini asseclis, quod vocationem verè extraordinariam divinam (de hac enim sermo est) pro articulo fidei in publica Confessione habeant: non etiam à Calvino alijsque Reformatoribus unquam fuisse defensam, vel probari susceptam: eoque omnes illas quas adduxere Walenburchij Conclusiones & sequelas nullum hic locum invenire.

ANIMADVERSIO II.

*Alii statuunt*) Nemo Lutheranorum statuit, vocatione divina extraordinaria, proprie quidem sic dicta, vel Lutherum vel quem alium vocatum esse. Nemo etiam statuit, vocatione ordinaria Pontificia opus esse: imo illam plenam esse impiæ vanitatis omnes profitentur. Hactenus itaque omnes conveniunt: & nulla hîc est in Lutherana schola dissensio. Non opus est ergo, ut nunc demum petant Domini Walenburchij Lutheranæ partis sententiam.

ANIMADVERSIO III.

*Juste hoc petimus*) Dissensio si quæ est, versatur circa thema scholasticum, de quo citra detrimentum vel fidei vel morum id quod verosimilius videtur potest pronunciari. Imo dissensio magis de vocabulo quam de re aliqua est. Ut enim nunc primum dicamus de solo Luthero. Omnes consentiunt, Lutherum ipsum ad reformandas Ecclesiæ corruptelas non fuisse à Deo Prophetarum instar extraordinarie vocatum: non etiam illum in hoc vel presbyterum vel doctorem apertè creatum esse, adeoque simpliciter quidem nec esse vocatione ordinaria in id accitum: cum presbyterij tamen & doctoris munere ipsi oblique munus reformandi esse commissum, eo ipso nimirum quo ipsi commissa est Evangelij prædicatio & vera doctrina. Hactenus omnes consentiunt. Tantum ergo alij existimant, quoniam cum presbyterij mu-

nere non simpliciter & aperte sed oblique vocatus est Lutherus ad Ecclesiam restaurandam, illam vocationem non recte dici ordinariam: quandoquidem tamen saltim oblique in id fuit vocatus, dum ordinario modo factus est presbyter, existimant alij recte posse dici, vocatione ordinaria ad id sacrum manus vocatum esse: alij neutram vocem plene isti vocationi competere volunt, eoque dicendam partim ordinariam partim extraordinariam. De Lutheri igitur quidem vocatione nulla est dissensio nisi nomine tenus. Concedunt itidem omnes, præter Lutherum nonnullos recte functos officio reformandi, etsi nondum ad munus Ecclesiasticum fuissent ritu in Ecclesia usitato ordinati.

Ex hisce patet iniquum esse σόφισμα Walenburchiorum, quasi inter Lutheranos sit dissensio de re maximi momenti, & quâ non definita non possint ipsi certi esse de legitima ratione sui muneris Ecclesiastici. Si qui forte doceant ordinationem ordinariam Pontificiam ita necessariam esse, ut intra illius limites continere ordinatus quisque sese debeat; illi, fateor, non poterunt vel suum vel primorum Reformatorum opus approbare. Sed tales nulli hactenus sunt reperti. Si qui etiam docerent ad Reformationem opus fuisse vere divina extraordinaria vocatione, illi itidem, fateor, turbarent universam Ecclesiam reformatam: ut quæ nullos ita vocatos habuerit. Verum nec id qui doceat quisquam est. In simpulo fluctus excitare propositum fuit Walenburchijs, sed fuerunt frustra. Nec in re clarissima quidquam addere ullum fuerit pretium operæ.

## ANIMADVERSIO IV.

*Qua nullam*). Quandoquidem Sacramenta omnia non à laico minus quàm clerico possunt peragi, & in universum illa vim suam habeant non ex opere operantis sed opere operato, ut schola loquitur; non est quare nos illa mordeat

cura,

cura, de Ministrorum Ecclesiæ legitima vocatione aut ordinatione, multo minus est, quare propterea Walenburchij nos jubeant esse sollicitos. Papistarum est omnis ejusmodi sollicitudo; torquente animos inani superstitione. Videant Domini Walenburchij, num ipsi possint esse certi, salvis hypothesibus Ecclesiæ suæ, sese ritè baptizatos imo ullius Sacramenti factos esse participes.

## Brevis summa hactenus disputatorum.

IN ea quæ à Dominis Walenburchijs de Extraordinaria vocatione allata sunt, nisi fallor, ita jam est animadversum, ut omnis qui legerit haud difficulter assequi veritatem possit. Quandoquidem autẽ nullo justo ordine observato à Walenburchijs, coacti & ipsi sumus, pressis illorum vestigijs, ita docere, ut labore aliquo fuerit opus ad plenam accipiendam cognitionem, lectorum in usum placet solùm summam omnium hîc adjicere, quo molestia legendi illa confusiora nonnihil levetur.

Igitur duæ quasi partes sunt Walenburchiani libelli. Prior, meæ Concussionis institutâ quadam imitatione, vult probare, Lutherum Calvinum aliosque Ecclesiæ prætensos, ut loquuntur, reformatores ad id extra ordinem à Deo vocatos, non fuisse, etsi id jactaverint: eoque tanquam perduelles ab Ecclesiæ communione secludendos esse. Uni huic Syllogismo licet includere omnem illam doctrinam.

*Quicunq; falsò jactant sese à Deo missos ad reformandam Ecclesiam, illi damnandi sunt & Ecclesiæ communione pellendi.*

*At Lutherus Calvinus aliiq; falsò jactant sese à Deo missos ad reformandam Ecclesiam.*

*Ergo.*

Hujus Syllogismi Majorem propositionem fassus sum

 vero

vero esse consentaneam. Minorem vero esse falsam ostendi, quandoquidem nemo illorum quos Walenburchij notaverunt, proprie dicta aliqua divina vocatione ad reformationis negotium sese accitum, professus est.

Ita verò Walenburchij sua proposuerunt, ut simul sæpius inculcaverint, nemini fas esse reformare Ecclesiam nisi extra ordinem à Deo ad id fuerit evocatus. Ac proinde & hic Syllogismus, quanquam obscurius, in illa prima parte reperitur.

*Quicunq; ad reformandam extra ordinem Ecclesiam non est à Deo vocatus, illi non licet extra ordinem reformare Ecclesiam.*

*At Lutherus Calvinus aliiq; non sunt ad reformandam extra ordinem Ecclesiam à Deo vocati.*

*Ergo.*

Hujus Syllogismi Minorem propositionem concessi. Rejeci autem Majorem. Quo licet satisfecissem meo officio Respondentis, tamen ut veritas in lucem traheretur, suscipere laborem non ditrectavi, prolixe ostendens: Reformandæ Ecclesiæ corruptæ jus esse cuivis gnaro rerum sacrarum etiam laico, si clerus ordinarius non faciat officium: quandoquidem clerus nihil habeat præ laico præcipui nisi ex positiva Ecclesiæ constitutione, & laico proinde, si vel desit omnino clerus vel ille non curet quæ debebat, concessum sit nihil nonagere eorum quæ clero injungi solent. Hinc sane manifestum est, nulla omnino speciali vocatione, sive ordinaria sive extraordinaria, ad legitimam reformandi potestatem opus esse.

Posterior pars, quæ à capite x. usque ad finem libri sese extendit, planè aliena est à priore. Quamvis enim prior nonnihil agat ejus quod titulus libri profitetur, nempe quod & laudet Conringium & corrigere annitatur, producta (ut quidem

dem Walenburchijs visum) in mei aliorumq; errantium Evangelicorum correctionem mea axiomatum & hypothesium collectione: Posterior tamen hæc pars ex mea illa collectione nihil promit, nihil etiam adfert quod singulatim contra me faciat. Potuissem quidem igitur omnem illam rejicere ego, ut quæ Conringio vel laudando vel corrigendo non sit instituta. Vicit tamen etiam hic amor veri; eoq; non dubitavi in omnia pene hujus etiam partis, quod parum sani haberet, animadvertere. Reperire vero in Walenburchianis illis omnibus non nisi unicum fuerit, & quidem soli capiti XI insertum, argumentum, quo ipsimet nitantur probare: nullam extraordinariam vocationem habere locum posse in Ecclesia, adeoque contra ordinarie sibi hactenus succedentium pastorum sententiam reformationem Ecclesiæ instituere haud fas fuisse. Cujus proinde refutationem è vestigio addidi. Reliqua Walenburchiana omnia hoc agunt: ut probent, vel Reformatores Ecclesiæ extraordinariam divinam vocationem sibi arrogasse, vel illos extraordinariæ vocationis licentiam futilibus rationibus ostendisse. Ex adverso vici ego, nihil horum probatum dedisse Walenburchios, sed cum sinistris & iniquis interpretationibus verba Reformatorum pervertisse, tum vi rationum quarundam ipsismet Walenburchijs expressam istam confessionem: quod liceat interdum ijs qui ordinarie vocati non sunt Ecclesiam corruptam in integrum restituere; quamvis porro fateri noluerint, licere & novum extra ordinem ordiri pastorum seriem, tamen & hoc licere firma ἀποδείξει à me est demonstratum.

Hæc fere sunt, quæ prima hac parte fuere actitata. Deum obsecro uti cedant Ecclesiæ bono, & in ipsorummet etiam Reverendissimorum Walenburchiorum fratrum, quique hactenus eorum doctrinam sunt sectati, æternam salutem,

ADDEN-

## ADDENDA.

Pag. 3. lin. 2. *Disputationis janua*) Si porro *credulitatis* voce pungere voluerunt Evangelicos VValenburchij, fuerit hoc cum eorum injuria conjunctum. Nec enim vicerint, justo nos esse leviores ad quidvis credendum. Utinam à Papistis levitas illa fuerit aliena! Fateor tamen, bono etiam sensu solere à sequioris ævi scriptoribus vocem illam *credulitatis* nonnunquam accipi, idque factum etiam à Bernhardo, cum alibi frequenter tum sermone 1. de Ascensione Domini, ubi miracula dicuntur *signa credulitatis, ac per hoc & salutis*. Illos auctores sectatos esse Dominos VValenburchios malo credere.

Ibid. l. 17. *Papistæ*) Ubi tamen ridicule persuadere nititur Baronius, jam olim *Romanos κατ' ἐξοχὴν* audiisse qui catholici erant: cum liqueat, *Romanos* tum dictos qui intra Romani Imperij fines degebant aut vero hactenus vixerant: qui cum simul Catholici essent Vandali autem & Gothi Ariani, non nisi per accidens Catholici Afri & Hispani pariter Romani appellati sunt. Præter illos magnos verò Cardinales etiam *Jesuitæ aliiq; ab eorum disciplina profecti, amplam sibi honorificamq; ducunt Papistarum appellationem*: ceu rectè alicubi scripsit Scioppius. Nec verò etiam Dominis VValenburchiis potest ignotus esse liber Jesuitæ Cornæi: *Aut Papista aut non Christianus*.

Ibid. l. 19. *γνησίως Papistarum*) Quomodo quidem hunc titulum Cassander *l. de Officio pii viri* jubet usurpare.

Pag. 38. l. 28. *Sacrificarant*) Ingenue proinde Cornelius Jansenius: *Etiam privatis & omni vocatione destitutis licet viam Domini imperitis exponere, quod & mulier Priscilla fecit: ignorantes docere, & impietatem si adsit eruditio publice revincere, quod Apollo fecit: Jesum annunciare, populum ad conver-*

*sionem*

*sionem impellere, & opera quadam prævia quasi lapides excidere unde extruatur domus Dei. Siquidem ista eruditionis aut charitatis, non magnæ auctoritatis, argumenta sunt.*

Pag. 38. l. 12. *Vexabatur)* Ipsemet Origenes Homilia XI. in caput XIIX. Numerorum diserte scribit, fieri posse, *ut in aliqua civitate ubi nondum Christiani nati sunt, si accedat aliquis & docere incipiat, laboret, instruat, inducat ad fidem, ipse postmodum iis qui docuit princeps & episcopus fiat.*

Pag. 38. l. 22. *Diu fuisse* (ut quidem accepimus) *ipsosmet.*

Pag. 41. l. 16. *Facillimum fuerit)* Operæ quis fecerit pretium, legens cum cura, quæ operose & summo studio judicioque collegit singulari libello *De jure plebis in regimine Ecclesiastico* stupendæ vir industriæ David Blondellus.

Jam porro Manum quoq; imponere ijs pro quibus preces ad Deum funduntur, fuit utique vetustissimus Hebræorum mos, etiam plebi communis. Hic retentus Apostolis & ad varias solemnes preces pro ægrotis, pro baptizatis, pro constitutis pastoribus, pro absolutis à criminum nexu sontibus, pro matrimonium inituris, additus, varios quidem sacros ritus produxit clero præcipuè commissos: quidni vero & sacræ plebi, urgente necessitate & clero deficiente, manum imponere liceat, cum semper etiam ordinariè, in precibus illis fundendis suus plebi locus sit relictus; Preces autem manuum impositioni prævaleant, imo in precibus momentum omne sit collocatum, manuum autem impositio non nisi externa sit ceremonia? In ipsismet sacris Apostolorum Actibus *cap. IX. v. 17.* legimus, Ananiam, non unum ex clero, imposuisse manum Saulo, cùm ut sanitatem oculorum recuperaret, tum ut Spiritum sanctum consequeretur. Eidem & Barnabæ, segregandis in Evangelij prædicationem, ex Spiritus S. præcepto impositas manus cum precibus legimus, à solo clero autem impositas non legimus. Diaconos quo-

que primos, ut à sacra multitudine fuere electi, ita per ejusdem preces & χειροτονίαν ordinatos, legere est Actor. VI. ℣. 6. Multa hujus generis taceo alia. Nec enim tale quid persequi pro dignitate jam licet.

Pag. 47. l. 21. *Accipitur*) Ipse certè Cajetanus ad illa verba S. Pauli: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur*, addit: *supple, à Deo*.

Pag. 125. l. 15. *Attinent*) Observandum sanè etiam atq; etiam est, Ecclesiarum Christianarum instituta non ad sacerdotalis Hebraicæ gentis collegij, sed ad Synagogæ potius exemplum ab Apostolis confecta esse. Hinc sanè eadem occurrunt utrobique dignitatum nomina. Enimvero etiam ille cui præcipuæ docendi & moderandi Synagogæ omnia partes commissæ fuerunt, suis audiit, etsi alia lingua, modo Episcopus Synagogæ, modo Minister Synagogæ, modo & Nuncius sive ἄγγελος, quomodo Episcopi septem Asiæ minoris Ecclesiarum audiunt in Apocalypsi. Habuit porro Synagoga & suos sic dictos Diaconos, officio suppares Diaconis Ecclesiæ. Sacerdotis & nomen & munus ut in Synagoga ita initio & in Ecclesia ignoratum fuit. Taceo nunc negotiorum utrobique similitudinem, & similia alia viris præclare doctis jam tum observata.

Pag. 128. l. 25. *Si fuerit opus*) Accedit quod ipsimet Walenburchij ultrò dudum professi sint, parte tertia Breviarij Methodi Augustinianæ n. 36: *Omnem Catholicam probationem debere esse per terminos expressos seu æquivalentes, sine additione, detractione, aut mutatione*: idque observandum etiam in probatione quavis ex Scripturis instituta, docuerint ibidem n. 38.

Pag. 131. l. 28. *Recessurum*) Non possum non hic Dominis Walenburchijs revocare in memoriam ex sua Augustiniana Methodo, præceptum de probatione Catholica: & rogare, num salva conscientia queant affirmare, sese juxta illud suum

suum præceptum probationem Catholicam ex Scriptura dedisse, *per terminos expressos aut æquivalentes, sine additione, detractione aut mutatione.* Si ingenue imbecillitatem argumenti agnoverint laudabo equidem candorem: si perrexerint illud jactare, non potero non mirari vel scientiam illorum vel conscientiam.

Pag. 132. l. 15. *Testatur*) Vis ingens veritatis hæc expressit ipsimet Bellarmino verba l. 4. de Not. Eccles. cap. 7. *Vt Ecclesia sit Catholica non requiritur, ut sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum ut innotescat omnibus provinciis, & in omnibus fructificet, ita ut in omnibus provinciis aliqui sint de Ecclesia. Nec requiritur ut hoc fiat simul: ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessariò esse oporteat aliquos fideles: satis enim est si fiat successive. Ex quo id sequitur; quod si una sola provincia retineat fidem, adhuc vere & proprie diceretur Catholica, dummodo clare ostenderetur eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diversis, in toto mundo.*

Pag. 137. l. 2. *Apocalypseos*) Quamvis enim Curiæ illius penetralia etiam ipsa plena sint Antichristiani spiritus, (πολλοὶ γὰρ ἀντίχριστοι) ceu sole est clarius facta contentione inter Curiæ studia & opera, & ea quæ Christus fieri jussit, διαμετρικῶς sibi mutuo adversantia: ut libere tamen dicam quod sentio, per mihi videtur verisimile, venturum adhuc illum ἀντίχριστον, de quo Thessalonicenses præmonitos voluit S. Paulus.

# INDEX
comprehendens summa capita eorum quæ hoc libro continentur.



*Ibid.*

EMEN-

# EMENDANDA.

Pag. 1. l. ult. *Pyrgopolinico*. pag. 10. l. 18. *moventur* p. 11. l. 32. ἀποδεικτική. p. 12. l. 11. *VValenburchiis*. l. 28. *acie*. p. 13. l. 21. *Romanensibus*. p. 14. l. 14. *quale quid*. p. 15. l. 19. *inique & forte*. p. 16. l. 29. *affirment*. p. 57. l. 13. totus ille versus ita scribatur: *illud Edite & Bibite ad solos Apostolos pertinere, perinde ut illud Hoc facite, utpote qui ultimis illis verbis sint sacerdotes facti*. pag. 60. l. 26. *sic & congesta*. p. 84. l. 14. *solent temere negari*. p. 125. l. 16. *perennare*. p. 127. l. 32. *Docet hoc*. p. 134. l. 11. *prohibet etiam*. p. 136. l. 24. *per extraordinarie vocatos*. p. 158. l. 11. *Esaiæ 29*. p. 173. l. 4. *superstitione*.

